54,017/B

55150

DE SAXIS,

ACUBUS, FERREIS VITREISQUE FRUSTIS,

Non exiguae molis, variae ſuperficiei & figurae, aliiſque plurimis rebus, plerumque per vomitum, aliquando etiam per inferiores partes ejectis,

Tum & de miris Animi & Corporis morboſis affectionibus, quibus identidem per plures Annos Cremonenſis Virgo quaedam obnoxia fuit,

DISSERTATIO EPISTOLARIS

PAULI VALCARENGHI

PRIMARII MEDICINAE RATIONALIS PROFESSORIS IN REGIO TICINENSI ARCHIGYMNASIO &c. &c.

EXCELLENTISSIMO

SENATUI

MEDIOLANENSI

D. D. D.

CREMONAE MDCCXLVI. APUD PETRUM RICCHINI.

Annuentibus Superioribus.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EXCELLENTISSIMO SENATUI MEDIOLANENSI.

PAULUS VALCARENGUS F.

STatim ac, *P. C.*, *quinque circiter abhinc annis, eximio ac ſpeciali Clementiae VESTRAE motu, altera ex Primariis Medicinae Cathedris, in Regio Ticinenſi Archigym-*

naſio, collata mihi benigne fuit, *ut* Rationalem *praeſertim* Medicinam *explicarem* : *tot una beneficiis gaudens, magnum adeo mihi decus & onus acceſsiſſe, intellexi, quod nec par pari, ut ajunt, VOBIS reddere, neque commiſſo mihi muneri, pro dignitate, ſatisfacere me unquam poſſe, conſiderem. Enim vero, cum Ars noſtra* Datis, *uti dicimus*, Certis *utplurimum careat, imo conjecturis potiſsimum innixa ſit; congruis omnino ratiociniis deeſſe locus, creditur; quin aptae a ſaniore Philoſophia, Matheſis adminiculo, demonſtrata, ſimulque ab aſsidua Cadaverum diſſectione, notiones*, Verae *tamen* Praxi *inhaerentes, emergant, quae idoneam ratiocinaturo Medico facem, inter tot tenebras, opportune ſuppeditent. Exinde autem fortaſsis evenit, ut, qui, neceſſarii ad haec laboris pertaeſi, praeſidiis illis deſtituti ſunt, Pſeudo-Medici*, Rationalis Medicinae *nomen quod nil, niſi quid chimaericum & vanum ſonet, oggannire maleſuadi paſſim haud erubeſcant : doctrinas haſce ad pompam potius, quam ad utilitatem,*

enucleari

enucleari ſolere, perperam rati. Verumtamen ego, contrarium penitus, cum Cordatioribus, exiſtimans, in ea dignitate ac munere conſtitutus, aliunde ſatis tenuitatis meae conſcius, ad haec nervis omnibus adnitendum inſuper mihi eſſe, deprehendi; quod Naturam ipſam inveſtigarem ſedulo, atque examuſſim perpenderem; ita ut & Hominis ſani facultates, & aegroti viciſsitudines quaslibet, ſaltem quamproxime, perſpectas haberem: unde tutius ratiocinii illius medici fundamentum exſurgit, cujus ope mens noſtra, cum in Theoricis, tum in Practicis, & in utriſque ſimul exercitationibus apprime illuſtratur, atque dirigitur. Neque ſolum obvios Naturae effectus, ſed etiam rariores attendendos mihi praeterea fore, cognovi: cum ab hiſce, quae difficilius occurrunt, & pene Naturae monſtra videntur eſſe, ad alia pariter, quae ſaepius fiunt, cautius emergat judicium. Haec ideo dum, pro viribus, praeſtabam, munere meo utcunque fungens, declinante anno nuperrime tranſacto, auſpicato mihi Cremonae contigit, ut op-

pido

pido rara Corporis atque Mentis morboſa phaenomena, in Femina quadam, xxxiii circiter annos nata, obſervarem; quae, ceu a conſueto plurimum aliena, ex maleficio, Daemonis opera, contigiſſe, plures exiſtimaverant. Re tamen rite penſitata, ſubinde vulgarem hanc evertere opinionem, ſtatui; quippe quod naturales tantum ad ea contuliſſe cauſſas, perſpicuum ſatis eſſe, cenſerem: meumque judicium, epiſtolari diſſertatiuncula, Spectatiſſimo Antiſtiti noſtro D. D. Alexandro Litta communicavi, quo Auſpice, portentum, ut ita dicam, iſtud ſcrutari mihi conceſſum fuerat. Nihilominus, quia ſuppoſiti maleficii ſuſpicio praetermodum invaluerat; judicium meum, velut inane, flocci facere nonnulli voluerunt; quos idcirco novis evincere argumentis, neceſſarium duxi. Eapropter eamdem, quam ſuper hac re, ſcriptis tantum evulgaveram, diſſertatiunculam, aliis exinde animadverſionibus illuſtratam, & undique auctam, typis edere, ac VOBIS, P. C., humillime vovere, decrevi. Num autem in hoc rem acu tetigerim,

gerim, VESTRUM potiore jure, quam meum erit judicare. Illud enim a me ſperari minime poſſe, non tantum intelligo, verum etiam ingenue fateor. Caeterum haud deſpero, fore ut conatus mei non contemnendi VOBIS prorſus evadant; ſi animum potius, quam vires meas attendere non recuſetis. Etenim in ejuſcemodi diſputationibus, quae tanti revera momenti ſunt, ſatis utique VOBIS, P. C., atque Sapientibus caeteris omnibus, eſſe poſſe, arbitror, ſi meam imprimis debilitatem, Ciceronis verbis, (*) publice profitear. Namque ea, ut potero, explicabo, nec tamen quaſi Pythius Apollo, certa ut ſint, quae dixero, ſed ut homunculus unus e multis, probabilia conjectura ſequens. Ultra enim quo progrediar, quam ut veriſimilia dicam, non habeo. *Id unum tandem reſtat, P. C., ut VOS etiam atque etiam exorem, quod labores hoſce meos aequi bonique facere, meque excelſo Patrocinio VESTRO fovere ſemper haudquaquam dedignemini: quo ductus*

prae-

(*) Cicero Tuſc. Quaeſt. lib. I.

praeſidio, aliquando meliora VOBIS offerre fortaſſe valeam. Etenim quo ac vixero, gravi beneficiorum (quibus me, ob ſummam benignitatem VESTRAM, cumulatum agnoſco) pondere preſſus, illud omnifariam enitar, quod nova in dies, eaque luculentiora, humillimi erga VOS obſequii mei teſtimonia, ſicuti potero, proferre nunquam omittam.

Ex S. Officio die 26. Julii 1746.
Ad. R. P. D. Ignatius Tadiſius, Conſultor Theologus S. Officii, videat, & referat.

Fr. Jo: Andreas Paſſanus Inquiſit. Gener. Cremonae &c.

Die 30. Julii 1746.
Ex mandato Reverendiſs. P. Jo: Andreae Paſſani, Inquiſitoris Generalis Cremonae, legi, & examinavi librum inſcriptum: *De ſaxis, acubus, ferreis vitreiſque fruſtis &c. Diſſertatio Epiſtolaris Pauli Valcarenghi, Primarii Medicinae Rationalis Profeſſoris in Regio Ticinenſi Archigymnaſio &c.*; cumq; nihil in eo Catholicae Fidei, probiſque moribus officiens deprehenderim, ejuſdem impreſſionem permitti poſſe, non dubito.

Ego D. Ignatius Tadiſi Presbyter Congregationis Somaſchae S. Off. Conſul.

Ex S. Officio die 30. Julii 1746.
Ad. R. P. Mag. Joſeph Antonius Buſſandri, Ord. Min. Convent. Conſultor S. Officii, videat, & referat.

Fr. Jo: Andreas Paſſanus Inquiſit. Gener. Cremonae &c.

Die 3. Auguſti 1746.
De mandato Reverendiſs. P. Jo: Andreae Paſſani, Inquiſitoris Generalis Cremonae, legi librum inſcriptum: *De Saxis, acubus, ferreis vitreiſque fruſtis &c. Diſſertatio Epiſtolaris Pauli Valcarenghi, Primarii Medicinae Rationalis Profeſſoris in Regio Ticinenſi Archigymnaſio &c*; Nichilque in eo quod Fidei Catholicae probiſque moribus adverſetur reperi, typiſque mandari poſſe haud dubito.

Ego Fr. Joſeph Antonius Buſſandri Ord. Min. Conv. Conſultor S. Officii.

Die 3. Auguſti 1746.
Attentis ſupradictis atteſtationibus
IMPRIMATUR.
Fr. Joannes Andreas Paſſanus Inquiſitor Generalis Cremonae.

1746. 3. Auguſti.
IMPRIMATUR.
Cribellus Praetor.

Eſt

Eſt enim Animorum, ingeniorumque naturale quoddam quaſi pabulum conſideratio, contemplatioque Naturae: erigimur, altiores fieri videmur...... Indagatio ipſa rerum tum maximarum, tum etiam occultiſſimarum, habet oblectationem. Si vero aliquid occurrat, quod veriſimile videatur: humaniſſima completur animus voluptate.

Cicero Academ. quaeſt. lib. 4.

Judicaverunt autem, re ſemel audita, atque ad unius ſe auctoritatem contulerunt. Sed neſcio quomodo plerique errare malunt, eamque ſententiam, quam adamaverunt, pugnaciſſime defendere, quam ſine pertinacia, quid conſtantiſſime dicatur, exquirere.

Cicero ibidem.

Ad

Ad Benevolum Lectorem

Auctoris praemonitum.

CUM maximum potiſſimumque Medici decus & munus illud eſſe, putem, teſte praeſertim Celeberrimo Boerhaavio, quod ſit Naturae Servulus, obediens quidem atque ſedulus, nihilque marte proprio temere agens, aut cogitans; in eo totus ut ille ſit ſemper, opportunum eſt, quod Naturae ipſius, ceu dominae ſuae, eſſentiam, proprietates, atque modos operandi varios ſaltem veriſimiliter intelligat, in ſtatu Hominis ſano pariter, ac utcunque morboſo. Proinde enim illud agere ſolum, pro re nata, quaerit, quod explorato rite antea Naturae genio, aut legibus utique conformis ſit; ac, pari norma, quaelibet phaenomena, ad Hominem ſpecialiter pertinentia, tutius inveſtigare valet, ut a recto veritatis tramite minus aberret. Aſt non ita facile Naturam intelligere cuique datur, uti ipſius nudum nomen in medium adduci paſſim a Medicis, audimus; quotieſcunque de Phyſicis reſerandis arcanis audacter nimis agere contendunt: perinde ac ſi Naturam nominare tantum, ſit ſatis, ut propriae inſcitiae conſulant, ignorata caeteroquin penitus Natura. Siquidem ejuſcemodi congrua Naturae cognitio longe adeo lateque extenditur, ut conſuetos ipſius operandi modos non ſolum complectatur, ſed alios etiam minus obvios, ſeu mavis, rariores, quos, uti ſolent, deviationes quaſdam jure dixeris; quibus omnibus neglectis, ſuperiores perſaepe cauſsae nimium oſcitanter, accerſeri conſueſcunt, bonique, aut mali Spiritus in ſubſidium fruſtra deducuntur. Tunc vero, quum coelitus tantum occurrentis cujuſpiam effectus morboſi

principium inde falſo derivatur, quod aliunde ſatius repetendum eſſet; ſimul ac naturales genuinae omittuntur cauſſae, iis obviam ire negligimus, immo deſperamus prorſus. Multiplici ideo ratione, cum Medicinam & exercendi & docendi publice nunc mihi munus incumbat, mea intereſſe debere ſemper, ſum ratus, quod Naturam in omnibus inveſtigarem ſedulo & ſemper, pro tenuitate mea: ſive de Aegrotorum, ſive de Sanorum Hominum eventibus viciſſitudinibuſque foret unquam agendum, in Mulieribus, praecipue Virginibus, in quibus plurifariam ludere, ut ita dicam, Natura ipſa ſolet. Ejuſcemodi autem nullam revera tutiorem aliam, ad evitandas fallacias, inveniri viam poſſe, pro certo habeo; ut Aegrotis ipſis opitulemur, nec exinde ad Exorciſtas incaſſum dimittamus eos, qui vel ſola Natura, vel doctis una Medicis indigent, ut ſanentur, ſecluſo penitus miraculo: neve aliter quadratis, ut ajunt, rotunda commiſceamus, quum de naturalibus effectibus eſt diſſerendum, pro Aegrotorum ſalute.

Proinde, ni fallor, intelliges, Benevole Lector, quì factum fuerit, ut, inter plurimas Praxeos, queis Cremonae detineor, curas, hujuſce ibidem occurrentis, rari admodum, morbi vices, cauſſas, atque ſymptomata ſcrutari funditus, meum ſpeciatim eſſe debere, putaverim; ut ſimul & Illuſtriſſimi Reverendiſſimique Antiſtitis noſtri D. D. Alexandri Litta juſſibus ſatisfacerem; ac una mihi ipſi conſulerem, ad inquirendos Naturae effectus; unde patere mihi aditum aliquando poſſe, ſperabam, ad optatam veritatis notionem, atque ad illorum nimiam cohibendam credulitatem, qui Diaboli potentiae plus aequo acquieſcunt; cum aliunde ratiocinari melius ignorent. Iſti quippe Homines (eo magis in admirationem proni, quo plus Philoſophiae ſunt inexperti) quam merito deridendi ſint, Sapientes docent; adeoque Gaſpar a Rejes (a) ita ait: *ſemper ridiculum*

(a) *Gaſp. a Rejes Elyſ. Jucund. Quaeſt. Camp. qu. 36. n. 32.*

ridiculum fuit in ſuperioribus cauſſam quaerere, ubi ſufficienter in inferioribus apparet. Hujuſcemodi vero inveſtigationes nec tanquam inutiles, nec quidem ad Praxim quoque medicam facere, quiſpiam unquam, ut arbitror, exiſtimabit: ſi animadvertat, ex hiſce etiam Clinicorum quorumvis mentem inſtrui plurimum poſſe, ut & in aliorum morborum diagnoſi minus decipiantur, nec fruſtra vulgaribus ſe abduci opinionibus, ignominioſe permittant. Quapropter ego, hujuſce Caſus miris accidentibus excitatus, Anno uſque proxime elapſo, omnem adhibui operam, quod rem totam rite perpenderem. Utque Spectatiſſimo eidem Antiſtiti, quo poteram citius, ſatisfacerem; haud brevem ad Ipſum epiſtolam tunc tumultuarie conſcripſi, additis nonnullis animadverſionibus, quas congruas eſſe putaveram, ita quod Naturae ſoli prorſus, ad haec, cauſſa adſcribenda foret. Verum cum conatus meos, ceu inutiles omnino, atque vanos, irridere publice Naſutiores quidam auſi ſint; mea intereſſe debere, ſum ratus, quod epiſtolam eamdem, novis ultro ratiociniis, aliorumque Clariſſimorum Virorum ſententiis abunde ditarem, eamque ſubinde in vulgus emitterem.

Caeterum, quod ſpectat ad eventuum illorum, de quibus hic ſermo eſt, hiſtoriam, a me tunc conſcriptam, eam, ſin omnino aliunde perfectam, veritati tamen, uti licitum fuit, conformem evaſiſſe, teſtari pro fide poſſum, una cum aliis, qui in iterato ſcrutamine mihi ſocii adfuerunt. Idcirco, ut de illis omnibus ultro certior evaderem (cum, pro inſtituto meo, Papiam proficiſci tunc deberem) rem totam Clar. Medico Migliavacca, Diſcipulo olim meo ſtudioſiſſimo, commiſi, qui & Juvenem ipſam multoties inviſit, eaque omnia diligentiſſime adnotavit, quae tunc eveniſſe aut Ipſe, aut alii animadverterant; uti videre eſt ex docta Ipſius epiſtola, una cum eruditis animadverſionibus ſuis, Papiam ad me, data opera, tranſ-

 miſsa,

miſſa, quam hic adjungere neceſſum eſt, ut hiſtoriae praeſertim veritas comprobetur. Enimvero credibile neutiquam eſt (quum iſtiuſmodi proferenda judicia ſunt) quantum ii, qui falſis detinentur opinionibus, hiſce obrui magis ament, quam quod ea (de quibus agitur) phaenomena, Sanioribus innoteſcere penitus ſinant, ne forte ſententiae ſuae valedicere poſtea coacti ſint. Revera tertium pene abierat luſtrum, ex quo Juvenis haec, variis aerumnis hiſce divexata, inter Exorciſtas dumtaxat verſabatur, a quibus optatum aſſequi ſe poſſe levamen certe ſperabat, & ſperat adhuc. Idcirco nullos unquam ex profeſſo, ut ajunt, ad haec omnia conſuluit Medicos; adeo ut, ipſorum ſano judicio, res tota in propatulo poneretur. Eorum itaque accidentium quum primum rumor ad me pervenit, in eo maxime ſolicitus fui, ut omnium, uti poſſibile foret, certior evaderem. Quapropter ea, quae egomet haud ſemel vidi, diligenterque a me tunc obſervata referuntur, veluti certa habere non renues, ſpero, Benigne Lector. Aliqua tamen praeterea ſunt, quae dubia Sapientibus videbuntur, haud quidem immerito; maxime quia ſolo Feminae iſtius, aliorumve, citra Medicam provinciam, illi aſſiſtentium, teſtimonio comprobata ſunt. Cujuſmodi ſunt viſiones variae ab ipſa habitae, Furibundi interni aeſtus, Mentis ſpeciales alienationes, Ecſtaſes, Agitationes nocturnae, Corporum extraneorum ejectiones per Anum, Vaginam, & Urethram factae, ſicuti vomitus plerarumque rerum, nullo adſtante Medico, facti; caeteraque demum ejuſdem cenſus. Idem dicendum quoque erit de papillae avulſione ex Mamma, quam non ſemel tantum, ſed etiam bis, & ter eveniſſe, ab aliquibus nuperrime audivi; fauſto quidem exitu ſemper, ob ſubſecutam inde ſpontaneam perfectamque agglutinationem. Haud abſimile pariter judicium habebitur, de iteratis magniſque vulneribus, Abdomini inflictis, iiſque in ejus Cavum aliquan-

do

do penetrantibus, ac ſubinde perfecte, abſque ulla Chirurgi opera, omnino ſanatis: quorum quidem cauſſam latere adhuc, penitus exiſtimant; ſin Daemon accuſetur. Plura ſemper autem obſtiterunt, ne laeſas haſce partes, uti opus erat, peritus ullus unquam Profeſſor luſtrare perfecte adeo potuerit, ut de hiſce congruum inde emergeret teſtimonium atque judicium. Eapropter ſoli affectae Juveni, aliiſque Feminis, illius ſociis, quo ad haec, fidem quoquo modo praebere coactus fui; atque maxime quia Reverendi quoque, illi aſſiſtentis, Sacerdotis aſseveratio confirmare ea omnia videbatur ſatis, quae veluti certiſſima in medium *Ipſe* pluries adduxerat.

Neque inſuper deerunt alii, qui dolum & malitiam in plurimis, ex recenſitis phaenomenis, adfuiſſe, dicent; merito ne, an ſecus, haudquaquam auſerim ſtatuere. Verum, quod ad me ſpectat, cum, ob allatas rationes, quatuor tantum vicibus Juvenem inviſerim, nec ipſam, pro lubito pluries interrogare, mihi datum fuerit; nullam, ne minimam quidem, malitiae notam deprehendi, ita quod ipſam fraudis hujuſce merito accuſarem. Itaque ſi nullum uſque nunc detexerim dolum, nemo ex Sapientibus id mihi, ſpero, culpae vertet; etiamſi deceptum me revera fuiſse, poſthac clarius innoteſceret. Caeterum, quotieſcunque hoc forſan inpoſterum eveniat; quamplurium Doctiſſimorum Virorum, qui in hiſce decepti gravius etiam fuerunt, me ſortem ſubiiſse, minime erubeſcam, nec quidquam illud mihi ignominiae ducam. Nonne plurima extant exempla mirorum eventuum, quos maximi revera habendos eſſe, Sapientiſſimi nonnulli Philoſophi & Medici opinati ſunt, quae Typis evulgarunt, etiamſi veram impoſturam ſaperent; eamque alii longe minus docti detexerunt? Una prae caeteris ad hoc ſummopere valet Hiſtoria, de aureo dente Pueri *Sileſii*, (*a*) quam deſcripſit D. Horſtius Medicinae Profeſ-

(a) *Sennert. lib.* 2. *Pract. part.* 1. *c.* 15.

Profeſsor in Academia Helmſtadiana, indeque Martinus Rulandus, & Andreas Libavius. Cumque circa hoc in Rulandum ſcripſiſset D. Jo: Ingolſterus, contra hunc denuo judicium ſuum ille acriter defendit. Tandem, vanis evadentibus Doctiſſimorum illorum Virorum judiciis, res ad Aurifabrum dimiſsa eſt, qui dolum primo detexit, approbante D. Rhumbaumio; atque poſtea peſſime ſe habuit Pueri illius circumductor, *utpote qui nummos contrahendi occaſionem ſibi arreptam eſſe videbat; atque ita cum aureo ſuo dente evanuit, atque diſparuit*. De hac ipſa Hiſtoria, aliiſque ſimilibus ediſserit *(a)* Gaſpar a Rejes. Nonne itaque potiore jure mihi venia magis, quam Adverſariis dabitur, ſi unquam, quo ad aliquam Hiſtoriae partem, ex aliorum impoſtura, me erraſse, poſthac pateat? Idque ego ipſe tunc publice profiteri non erubeſcam; cum & alii plures, hac de cauſa, decepti ſint. Ideo meam quidem, circa haec, Sententiam protuli, conſilium exinde mutare paratus, ſi ratio, novaeque obſervationes id expetant, ut veritate potiamur. Adverſarii vero, Daemonis, in illa Juvene agentis, ſuppoſitum tuentur adeo, ut contrarium evinci nullo modo poſse, veluti pro Aris, ut dicunt, atque Focis defendere parati eſſe videantur; uti multoties aſseverare non dubitarunt. Satis autem ſuperque, quo ad me, erit, ut liquido conſtet, ex iis me nunquam fuiſse, qui non ſolum falli poſſunt, ſed volunt; de quibus recte ſic innuit *(b)* Gaſpar a Rejes: *falli volentibus nunquam deſunt fallere parati; quia ſtulta aliorum credulitate, ad emolumentum ſuum & impoſturam, abutuntur*.

Attamen haec omnia in eorum potiſſimum gratiam dicta ſint, qui non rationibus, non iteratis aptiſque obſervationibus, ſed dicteriis potius, animadverſiones haſce meas inepte, aut malitioſe unquam auſerint inſectari, atque laceſsere.

For-

(a) *Gaſp. a Rejes lib. ſupra citato qu. 46. n. 47. ad 51.*

(b) *Idem in eodem lib. qu. 27. n. 2.*

Fortaſſis enim aliquis dicere, non verebitur, Aniles me fabulas in Hiſtoria, parum caute, contexuiſse, acſi cum praelaudato Gaſpare a Rejes (*a*) ita contra me decerneret. *Oporteret potius haec rugoſis & edentulis Anibus relinquere, ut Pueris, inter caetera commenta, hoc etiam cantando adducerent.* Aedepol! ex hiſce pleraque, tanquam certa, recenſui; aliqua dubia, quin imo falſa ſubinde, ex novis obſervationibus, comprobari forſan poſse, ex dictis concedo. Quid inde, quaeſo? Propterea ne labores mei ſpernendi omnino erunt? Id ſane nemo, niſi demens ſit, aſseret. Eo namque dumtaxat vergunt conatus mei, ut quoquo modo probem; quod, ſi haec omnia vera propemodum ſint, fruſtraneum nihilominus ſit, in recenſitis circumſtantiis, ad ſuperiores cauſsas confugere, ut eorum habeatur explicatio; cum phyſica ſufficere principia, mihi videantur. Si autem ultro me aliqua omiſiſſiſse, dicant, quae mihi nunquam innotuerunt, mea nihilum intereſse debebit: praecipue cum de ignotis hic diſputare, meum haudquaquam inſtitutum poſceret. Enim vero, ſi alia quoque mihi enarrata fuiſsent, meum & de iis, pro modulo meo, judicium hic extaret; illudque ideo poſthac proferre paratus toties ero, quoties ea evulgata ſint. Prae caeteris aliqui narrant, quod ab affectae Juvenis Utero Bufones aliquando prodierint, aliaque Animalia, ſeu mavis, viva Monſtra: quod ego haud unquam credam. Aſt, eſto etiam, quod illud verum ſit; uti ſimilia plurimaque referuntur exempla, praecipue apud Gaſparem a Rejes; (*b*) non hoc mehercle ſufficiet, ut naturales illico negligantur cauſsae, quas ad hoc conferre potuiſse, Auctor ille putat. Praeterea nec obeſse quidquam nobis poterit, quod Adverſarii conformes alios adferant eventus (quorum maximum numerum apud Exorciſtas non tantum, verum etiam

apud

(a) *Gaſp. a Rejes ibidem qu. 36. n. 46.*

(b) *Idem ibidem qu. 36. n. 19. & ſeq.*

apud Medicos exiſtere, cuique, in Hiſtoria Medica verſato, notum eſse ſuppono) cum eorumdem principium ex ſupernaturalibus ſolum cauſſis expetitum fuerit. Quamvis enim illarum Hiſtoriarum fidem, penes Auctores ſuos relinquam; ipſis tamen haud injurioſus evadam, ſi in hiſce vera ſimul & falſa plurima referri, ſtatuerim. Quid? ſi hiſtorias illas veritati minime refragari oſtenderint (quod ſatis haud unquam fiet) nihil inde profecto adverſus me poterunt; quin aliter ipſi demonſtrent, ratiocinia mea penitus vana eſse, nec proinde phyſice, ea, quae recenſentur, accidentia ſapienter enucleari poſse. Sola enim Auctorum aſsertio inanis eſt, quum de phyſicis agimus; quin una in ſubſidium adducantur obſervationes, ratione tamen duce, habitae, atque explicatae. Etenim in omnibus, de quibus Philoſophi diſputant, nullum ſibi Patronum eligere quiſpiam poteſt; quin tot alii, aeque Celebres Doctiſſimique Auctores ipſi opponantur. Unde hac ratione tantum nullibi veritas eluceſceret.

Hoſce itaque, quicunque fuerint, ſi, ut ſententiae ſuae tenaciter inhaerere videantur, contra me, ſed ſolis eventis, aut opinionibus, inſurgant; ita prius ex Cicerone monitos velim: (a) *Sed omnium talium rerum ratio reddenda eſt. Quod Vos cum facere non poteſtis, tanquam in Aram, confugitis ad Deum.* Etenim (b) *argumentis, & rationibus oportet, quare quidque ita ſit, docere, non eventis, iis praeſertim, quibus mihi liceat non credere.*

Sed de his omnibus ſatis diximus (utar Valleſii verbis (c). *Illud unum modo velim exoratos detractores, ut, niſi prius horum omnium, quorum nos cauſſas diximus, commodiores alias invenerint, haſce non contemnant; hac lege, ut cum primum probabiliores dixerint, nos quoque eas, noſtris deſtitutis, amplectamur. Date ergo detractores hoc, quando, quod aequum eſt, do, & nihil iniquum peto; alioqui prae invidia maledicere convincemini.*

(a) *Cicero de Natura Deor. lib.* 3. (b) *Idem de Divinat. lib.* 2.
(c) *Valleſ. controverſ. lib.* 4. *c.* 6. *in fine.*

AD

AD ILLUSTRISSIMUM
ET REVERENDISSIMUM
D. D. ALEXANDRUM LITTA
EPISCOPUM CREMONAE, COMITEM &c.

HAeſi diu anceps, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Praeſul, nec, ut opinor, immerito, ea omnia mecum ipſe reputans, quae tamquam mira non tantum, verum etiam uti portentoſa dictitari de Cremonenſi illa Juvene, Tibi maxime nota, multoties audieram. Plerique, eam a Diabolo detentam, ac multis modis vexatam fuiſſe, opinantes, ſpecialium quorumvis, quae ipſi identidem evenerant, accidentium originem expetere inde malunt, nil ultro de caeteris ſoliciti: praecipue cum nulla aliunde peti poſſe ad haec congrua ratio ipſis videatur, quae Naturae legibus atque viribus omnimode conformis ſit. Hiſce autem Rationalis, quam utcunque in Regio Ticinenſi Archigymnaſio publice, primario loco,

profiteor, Medicina me ſtatim, abſque diuturna ſeriaque meditatione, acquieſcere, minuſque, quam par eſſet, haeſitanter Satanae potentiam in medium me tunc adducere, neutiquam patiebatur. Rem itaque totam, ſin examuſſim, pro viribus ſerio ſaltem, ad trutinam revocare jam pridem ſtatueram, anxieque proinde exoptabam, ut opportuna mihi tandem ad hoc emergeret occaſio: quo nihil mihi jucundius, ac una aliis, ut candide loquar, utilius evaſurum arbitrabar. Neque enim hoc mihi facile adeo conceſſum iri ſperabam, optime conſcius, quod ejuſcemodi rariora & mira phaenomena publice quidem magnifieri, plenoque ore ad ravim uſque commendari ab aliquibus ubique conſueſcunt (ut praeconceptis opinionibus ſuis, quae in errores eos paſſim turpiterque deducunt, robur addant, optatamque ſibi facilius concilient fidem) illorum autem inire examen, pro rei dignitate, perquam raro accuratioribus Medicis conceditur. Tibi ideo ſoli, hac ultro de cauſa (ne innumera alia, in me, meamque familiam, humaniſſime a Te collata, beneficia recenſeam) omnino me debere profiteor, quod voti compos aliquando evaſerim, meque plura coram Te ab affecta Juvene, alia ab Exorciſta Sacerdote, illi aſſiſtente, congrua arrepta occaſione ſci-

ſciſcitari juſſeris: utque potiſſimum examini calculum, ut ajunt, adderes, pleraque a Te ipſo tunc perpendi, abditioraque diligenter inveſtigari, & venerabunde mirabar, & laetabar admodum. Poſthac alias & Sacerdotem, & Juvenem ipſam denuo interrogavi, caetera alia utrinque expetens, quae digna & neceſſaria ſcitu mihi videbantur: uſque dum negotium ab ovo, uti dicimus, repetere, indeque praeteritorum quorumvis ſymptomatum, praecipuorum ſaltem, hiſtoriam exarare mihi conceſſum eſſet. Eam vero ad Te mittere nullus dubitavi, quin imo aequum prorſus eſſe cenſui, quo gratum hoc Tibi fore intellexi. Verumtamen, cum non ſimplicem tantum hujuſce rei hiſtoriam, ſed medicas etiam, quoquo modo ad ipſam facientes, animadverſiones a me petieris; onus, haudquaquam humeris meis conſonum, ſupereſſe novi. Siquidem, etſi compte minus, quam ea poſceret, ſcripta hiſtoria foret; id mihi laudis acceſſurum inde, ſaltem pollicebar, quod veritati conformis prorſus evaderet, nec quidquam Curioſis, ut fas eſt; perperam imponeret, eoſque turpiter deluderet. Ad alterum autem quod ſpectat, ut meum nempe hac ſuper re judicium proferam, Tibique candide communicem, haud parum errare me poſſe noſco, idque publice confiteri minime renuo.

Namque potiore jure illud, quod Cicero de Philoſophicis quaeſtionibus aliis innuit, (*a*) ad rem noſtram facit: quod nempe hujuſcemodi *cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, eaque eſt in rebus ipſis obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſine cauſsa & doctiſſimi, & antiquiſſimi invenire ſe poſſe quod cuperent, diffiſi ſint. Tamen nec illi defecerunt, neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus*. Equidem de re tanti momenti agitur, quanti intereſt tum ſacroſanctae Religionis noſtrae miracula in propatulo ponere, ſi, congruo praehabito ſcrutamine, vera eſſe deprehendantur; ut ipſorum exinde fulcro illa tutius inhaereat: tum ea ſecus, ſi falſa ſint, explodere; ne illorum fallacia, quotieſcunque inconſulto admittantur, Atheorum, aliorumve Haereticorum inſaniam augeat. Tantum autem abeſt, quod exquiſitae iſtiuſmodi rerum inveſtigationes, abſque praejudiciis inſtitutae, Orthodoxae Religioni officere quidquam poſſint, ut eam potius ſummopere tueantur, atque a vanis impiorum Hominum deliramentis omnino vindicent. Apposite enim cum doctiſſimo Verulamio (*b*) *eos* (ſi qui ſint) *qui autumant, nimiam ſcientiam inclinare mentem in Atheiſmum, ignorantiamque ſecundarum cauſsarum, Pie-*

(a) *Cicero Academ. quaeſt lib.* 4.

(b) *Franc. Bac. de Verulam. de Augm. Scient. lib.* 1.

Pietate erga primam obſtetricari, libenter compellerem Jobi quaeſtione, an oporteat mentiri pro Deo, & ejus gratia dolum loqui conveniat? Liquet enim, Deum nihil operari ordinario in natura; niſi per ſecundas: Cujus diverſum credi ſi vellent, impoſtura mera eſſet, quaſi in gratiam Dei, & nihil aliud, quam Authori veritatis, immundam mendacii hoſtiam immolare.

Multiplici idcirco ratione ſibi optime prudenterque conſuluiſſe cenſendus eſt Clar. Medicus Martinus Ghiſius (unus ex ſtudioſis Diſcipulis, quos ſex circiter abhinc annis, Theoriae & Praxis addiſcendae cauſsa, Cremonae habui) qui hujuſce caſus raritate captus; ut omnium, quotquot, praeter conſuetum Naturae ordinem, in illa Juvene contigiſſe audierat, atque non ſemel ipſe obſervaverat, rationem, atque tutius judicium obtineret; Hiſtoriam, italico ſermone breviter ab ipſo conſcriptam, una cum aliquibus animadverſionibus, utrique ſententiae faventibus, ad Exteros ſapientiſſimos Profeſſores mittere ſatius duxit, eorumque ſuper hiſce ſimul votum etiam atque etiam ſciſcitatus eſt, quos ſibi duces opportune delegerat.

Quaeris utrum ea, quae, utcunque mira, paſſa eſt, aut praeſtitit, quibus adhuc etiam variis modis detinetur Juvenis iſta, a naturalibus oriri cauſſis vere poſſint, nullaque proinde ad hoc interſit Dia-

boli potentia, vel alia ſuperior cauſſa conferat, quae ſupra Naturae limites operetur: an ex oppoſito Maleficii genuinae emergant notae, ſicuti Medico diſquirendum eſt; cum de caeteris Theologo melius demandandam eſſe provinciam, noſcam. Cum itaque & in hoc, & in aliis, quae mihi forſitan offerre poſthac non graveris, mandatis Tuis obtemperare glorioſum maxime ducam, atque imposterum fore mihi ſemper intelligam: in arenam deſcendere non recuſo, eo quidem animo, quod Saniorum Judicium haud effugere tantum, ſed ſponte anxieque expetere poſthac me, quiſque cognoſcat: adeo ut, ſi quidquam a veritate aberraverim, illico mutare conſilium paratus ſim. Illorum tamen cenſoriam virgam haudquaquam pertimeſco, qui ſpiritualibus ſolum rerum plerarumque principiis non dicam inveſtigandis, ſed religioſe contemplandis venerandiſve (uti quiſque caeteroquin jure debet) aſſueti, naturales cauſſas omnimode ſtomachantur & reſpuunt, atque ſimul aegerrime ferunt, quod a Peritis, veritati revera litantibus, accuratius, pro re nata, inveſtigentur, atque in vulgus emittantur. In hiſce enim, adeo praeoccupati erroribus eſſe videntur, ut ne hilum quidem animadvertant, quod (*a*) *ſi quis ulterius pergat,*

(a) *Bac. de Verulam. de Augm. Scient. lib.* 1.

gat, cauſsarumque dependentiam, ſeriem & concatenationem, atque opera providentiae intueatur, tunc ſecundum Poëtarum Mythologiam facile credet, ſummum naturalis catenae anulum pedi ſolii Jovis affigi. Cum hiſce vero nil prorſus, ſed Tecum praeſertim rem mihi nunc agendam eſſe, gaudeo; mihique ipſi una cum omnibus Cremonenſibus Civibus gratulor, quod optimum undequaque Antiſtitem habere nobis diu fauſtoque contigerit: cujus indefeſſa opera cum Catholica nobiſcum Religio ſpeciatim viget, atque in dies magis magiſque eluceſcit, tum & ſublimiores ſcientiae ſedulo excoluntur, ut veritas in omnibus emergat, nec quidquam falſis opinionibus perperam locus concedatur. Id autem ſicuti in aliis omnibus, ita potiſſimum in hiſce, de quibus agimus, praeſtandum rigoroſe eſſe, praecipis, cum Pignatello praecipue ſic ſtatuens. (*a*) *Non facile credendum, aliquem eſſe obſeſſum, ſeu maleficiatum: quia plerumque effectus extraordinarii poſſunt provenire a cauſſa naturali, ideoque requiritur fides Medici, quod illa infirmitas non ſit naturalis, vel ſaltem ſit dubia, ac etiam fides experti ac prudentis Exorciſtae, quod illa infirmitas vere proveniat a veneficio. Dixi prudentis Exorciſtae, quia plerique quamcunque infirmitatem judicant eſſe veneficium,*

(a) *Pignatel. Conſult. noviſs. ad Op. Bonacin. Tom.* 2. *Diſp.* 4. *Quaeſt.* 1.

& faſcinationem, ſive ex imperitia, ſive ex pretio, & aliquando, ſi Perſonae non ſunt effaſcinatae, ipſis nutriendo illum humorem melancholicum, cum aliis malis artibus, effaſcinant, non ſine ſcandalis. Porro tot tantaque ea ſunt, quae in hiſce caſibus ſcrupuloſe ſeduloque inveſtigare prius expedit, anteaquam judicium certo proferatur, ut neque Sapientes etiam ad hoc ſufficere omnino ſe poſſe, audeant praeſumere. Quamplura enim ejuſcemodi paſſim ex pretio malitioſe, & doloſe fiunt; ut aliquando nil mirum ſit, quod ab indoctis Puellis, rudioribus etiam, Saniores eruditi Viri decepti evadant, non ſine maximo ipſorum dedecore. Simile exemplum Donatus (*a*) exhibet, de Puella quadam verba faciens, quae *tot doctiſſimos Viros Philoſophos, Medicos, Anatomicoſque turpiter decepit, ut de infinitis aliorum ordinum Viris & Mulieribus taceam. Haec enim principio ventrem conſtruxit amplum, deinde effecit ingentem, ſubinde finxit, ex potu aquae paluſtris putridae, Animal quoddam in ventre prognatum, quod magnum & horribile eſſet, haberetque ad ſenſum quatuor pedes, quibus calcitraret &c. Quare tam lamentabilis in Utero geſtationis commiſeratio multos prehendit, quo factum, ut hoc actu maxima dona a Principibus & omnis generis Hominibus conſequeretur. Verum detecta tandem haec Diaboli fraus, ac deprehenſus eſt canis ſub*

(a) *Marcel. Donat. lib.* 2. *cap.* 12. *Hiſt. Med.*

ſub corio, ſupra ventrem artificioſe extenſo, latitare, & ventrem factitium fuiſſe. Quare Puella & complices aliquot graviter puniti. Quapropter cum eodem Donato ibidem, utpote axioma certum, id ſtatuere opportunum erit, quod *ſimulanti & mentienti nihil difficile, ſed doli deprehenſio non ita facilis.* Talia vero ſic effari antea neceſſe fuit, non ideo quod in Juvene noſtra malitiae certa omnino apud omnes emergeret ſuſpicio, eaque mihi ſatis perſpecta eſſet; ſed ut cautam in judicando haeſitationem Tuam, hac ultro ratione, eo magis magiſque commendarem, aliiſque, tanquam tutam in operando normam, ceu pro modulo, proponerem. *Nam cum omnibus in rebus* (a) *temeritas in aſſentiendo, errorque turpis eſt, tum in eo loco maxime, in quo judicandum eſt, quantum auſpiciis, rebuſque divinis, Religionique tribuamus. Eſt enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut ſuſceptis, anili ſuperſtitione obligemur.* Omnibus ideo rite prius perpenſis, quae ad haec quomodocunque pertinere cenſeantur; ut tutiori judicium noſtrum inſiſtat fulcro, Naturam ipſam praeſertim interrogare fas eſt, ac pro dignitate adamuſſim perquirere, quantum ipſa in illis, de quibus ſermo eſt, circumſtantiis praeſtiterit, aut efficere quomodolibet apta ſit. Huic vero ſi quidquam temere denegetur, quod ipſi merito

(*a*) *Cicero de Divinat. lib.* 1.

merito conveniat, ac proinde naturalium effectuum ratio fruſtra coelitus repetatur; dementis id maxime eſſe, nemo inficias iverit; quare ſic merito effatur (*a*) Cicero. *Quas autem res tum Natura, tum caſus affert, & in quibus nonnunquam etiam errorem creat ſimilitudo: magna ſtultitia eſt earum rerum Deos facere auctores, cauſſas non quaerere*: quod quidem eo potiore jure in hiſce, quae ad Hominem utcunque ſpectant, cavendum eſt, de quo, ex D. Auguſtino lib. 10. de Civit. Dei, concludit Garmanus (*b*) *Omni miraculo, quod fit per Hominem, majus miraculum eſt Homo*. Quod ſi tandem nullae prorſus ex phyſicarum cauſſarum penu erui poſſe tunc rationes videantur, ex quibus effectus prodeant, ita cum Lucretio aequum erit ſtatuere.

(*c*) *Ignorantia cauſſarum conferre Deorum*
Cogit ad imperium res, & concedere regnum,
Quorum operum cauſſas nulla ratione videre
Poſſunt, haec fieri Divino Numine rentur.

Aſt ſatis jam in praeſens de hiſce; nec enim ultro Te morari fruſtra par eſt: ad Hiſtoriam accedamus.

Decimus

(a) *Cicero de Divinat. lib. 2.*
(b) *Frid. Garman. de Miracul. Mortuor. Diſſert. proem. Sec. 2. n. 64.*
(c) *Lucret. lib. 6. de Nat. Rer. v. 53.*

DEcimus tertius jam fluit annus, ex quo infelix haec Juvenis, tertium nunc ſupra trigeſimum aetatis agens, hujuſcemodi aerumnis detineri coepit: tunc nempe, ut cum ea plures ſibi perſuadent, quum oblatum ipſi ab Amaſio ſuo, Malum medicum devoravit. Equidem antehac cum proſpera valetudine, pro aetate ſua, frui conſueviſſet, varios exinde paſſa eſt morbos, ipſi identidem & ſaepe, abſque ordine recurrentes, quos ſingillatim enarrare neutiquam vacat. Imo plura ex hiſce omittam, data opera, quae ad rem noſtram & nihil faciunt, atque negligere fas eſt, ne modeſtiae limites tranſcendam.

In primis per quadriennium hyſtericis convulſionibus ſaepe detenta fuit, extrinſecus & intrinſecus, totque & tam variis modis, quos expertus quiſque Medicus, Protheiformis hujuſce morbi genium, vices, complicationeſque ſatis callens, ſibi facile imaginari poterit. Id unum, prae caeteris, quibus tunc detinebatur, ſymptomatibus, adnotandum eſt: quod aliquoties Animo una & Corpore, ut dicitur, adeo aegrotabat, ut viribus extemplo penitus deſtitui ſibi videretur, & aliquando revera deficeret, ac ſubinde robore paullo poſtea ſupramodum valeret: Alias, ſubito mente capta, varia & innumera agere, vel intueri ſe crederet, ac ſi ea vere talia forent. Haud raro ecſtatica, ſeu mavis attonita facta, immota pene jacebat, indeque alia quomodolibet operabatur, quorum nihil penitus poſtea meminerat, ac ſi, e profundo evadens ſomno, ut ipſa ait, de hiſce,

quae

quae in ſomniis ipſi contigerant, loqui debuiſſet. Elapſo quadriennio ſingultus frequens ſucceſſit, & jejuno, & pleno ſtomacho, ſimulque caetera hyſterica accidentia eo ſaepius atque gravius ipſam diſtorquebant. Laeſa etiam exinde magis, per intervalla, phantaſia, quandoque piis meditationibus cum ſerio detenta eſſet, ab hiſce paullo poſtea, atque a ſacris quibuſcunque muniis aliena evadebat. Interdum hilaris praeter modum erat, inde moeſta & ſolitudinis amans: mox in iram ſummopere concitata, ac pene furioſa, quemlibet ſibi obvium adoriebatur, ne Matri quidem, aut fratri, aut domeſticis aliis ſuis parcens, quos caeteroquin intenſe adamabat; eoſque jurgiis non tantum, ſed etiam verberibus afficere quandoque tentabat. Quae omnia aegre admodum ipſa quoque ferebat, quum, ab inſultu, ut ita dicam, evadens, talia ſe egiſſe ab aliis audiebat, quorum nihil penitus recordabatur. Dicere enim ſolita erat, ſe talia nunquam perpetraſſe, quorum eam tantum ſibi ſupereſſe ideam aliquando aſſerebat, ac ſi ea alii operati eſſent.

Hac ratione dies plurimos noctesque miſerrime tranſigebat, ſaepe veterno preſſa, ſaepiſſime furore percita, utplurimum inſomnis, fanatica, melancholica, ſeu, ut dici ſolet, maniaca, in alios ſimul, ac in ſe ipſam plurifariam furibunda non raro evadens. Tunc quoque plerumque eſuriebat maxime, imo canina, pene dixerim, fame vexata, cibos indiſcriminatim avidiſſime appetebat, indeque ab iis propemodum abhorrebat. Praeterea, cum ad menſam aliquando

acce-

accederet, plus ſolito famelica, cibos raptim & tumultuarie ingurgitabat, ignorans tunc prorſus, quid faceret; ita quod haud ſemel obſonia illa eadem anxie iterum expoſceret, quae paullo antea manducaverat. Id unum autem, ex dictis, inter ejuſcemodi affectionem, & veram inſaniam intereſſe diſcriminis tunc videbatur: quod in hac Patientes aeque diu veſani eſſe deprehendantur: illa vero Juvenem hanc ad tempus, atque variis modis, identidem detineret, atque ab ea penitus utplurimum evaderet, mentis compos omnimode facta. Mira haec, aliaque ejuſdem cenſus varia, perſaepe Aegrota patiebatur extra lunarem periodum; effluentibus vero menſibus, melius ſe habebat, eoque pejus, hiſce vix vix ceſſantibus. Attamen excretio haec abſque ordine illi ſemper evenit, nec ea unquam caruit, quinimo bis quandoque & ultro aliquibus menſibus conſuetum vectigal perſolvit, nec raro etiam plus quam par eſſet liberaliter. Nihilotamen ſecius, gravibus vigentibus ſymptomatibus illis, maximum a phlebotomia levamen experiebatur.

Alia hiſce addenda ſunt hyſterica accidentia, quibus una tunc aliquando vexabatur, quae adhuc plus minuſve vigent. Ejuſcemodi autem ſunt ſtrangulationes frequentes; Aphoniae; mira Inteſtinorum murmura, fere dixerim, rugitus; aeſtuationes variae; adſtricta modo penitus Alvus, aliaſque ſine cauſſa manifeſta liberius fluens; maximi in univerſo Abdomine tumores, extemplo facti, atque derepente uſquequaque evaneſcentes; urinae ardores; ſtranguriae, nec non inanes

ad

ad mingendum ſtimuli ; aliaque plurima , quae nihilum intereſt enarrare .

Verum cum ſymptomata haec conſuetum hyſtericae ſimplicis affectionis genium , atque indolem longe admodum praetergredi non pauci crederent , ac proinde naturales ad hoc neutiquam ſufficere cauſsas opinarentur ; ad Diabolum confugere nihilum quidem dubitarunt . Quod veriſimile non tantum , ſed etiam certum tunc ipſis viſum eſt ; quum & acus , & parvos clavos , atque ſaxa varia , decem ab hinc annis evomere coepit . Quapropter , maleficii noxam & vires inde accuſando , hoc , ex recenſiti Mali medici eſu , ipſi clanculum eveniſſe autumabant . Interea ſymptomata illa omnia modo ſeorſim , modo junctim , utplurimum gravius illi contingere poſthac , ſequentibus aliis annis , uſque in praeſens obſervata ſunt . Praecipue vero veſanus ille furor vehementer adeo ipſam identidem corripuit , quod dentibus ſibi carnem e Brachiis aliquoties fruſtatim avulſerit , ac demum , uti fertur , papillam e ſiniſtra Mamma ; quam , cum , ſoluto , vi fortaſſe doloris , furibundo aeſtu , ſe in ore geſtare , animadvertiſſet , ſauciatae Mammae iterum appoſuit , factaque ſubinde ligatura , miraculoſe , ut ipſa cenſet , papilla denuo adglutinata ibidem fuit .

Exinde eo magis magiſque praeconcepti Maleficii ſuſpicio apud pleroſque hoc anno adaucta eſt : quum ſaepius majora longe mole ſaxa , varii generis , pretioſi etiam , atque majores clavos , & ferreas multifariam convolutas lamellas ,

plum-

plumbi priſmata, & cubos, ferream haud parvam catenam, vitreaque ſat grandia fruſta, & plana, & cava, & convexa, cavo-convexa, aſpera, contorta, anguloſa, ferreaſque acus, per vomitum ejeciſſe dicatur; idque plures fide digni teſtantur, ac praecipue Reverendus Sacerdos ille, cujus objurgationibus Daemon auſcultare creditur, apud quem innumera illa omnia, praeter alia, iteratis vicibus ejecta, aſſervantur.

Eodem tempore vulnera haud parva in Abdomine, non procul ab umbilico, habuit, quorum cauſſam ſe ignoraſſe ſemper illa aſſerit. Hoc unum ipſa pro certo refert, quod ab altero ex hiſce vulneribus recurva ferri lamina quondam prodierit, una cum Alimentis, & faecibus: unde praehabita Inteſtinorum laceratio aperte patebat. Majus ex hiſce vulnus decem & octo dierum circiter intervallo ſponte convaluit, neque caetera in inſtanti conſolidata ſunt: tametſi eorumdem ſanatio, appoſita benedicta aqua, coelitus eveniſſe vulgo putetur.

Non vacat extraneorum quorumvis corporum, quae per vomitum ab ipſa educta ſunt, configurationem atque molem hic diſtincte aſſignare. Satis quippe fore autumo, quod majoris omnium ejecti ſaxi menſuram adferam, ex qua pateat, quantanam inde facta fuerit Oeſophagi dilatatio. Majus itaque hujuſcemodi ſaxum, inordinatae ovalis figurae, ſanguineque tinctum, tres pollices longitudine commenſurabat, binos pollices cum octo lineis latitudine, altum vero polli-

cem

cem unum cum quinque lineis. Fruſtum ſaxeum, rhomboidalis figurae inordinatae, binos pollices & ſeptem lineas longitudine aequabat, latum pollices binos cum lineis ſex, craſſitiei vero linearum quatuor. Aliud ſaxum hiſce paullo minus mole, me praeſente, evomuit. Apud dictum Sacerdotem, prae caeteris, ferrea catena, vomitu ab eadem Juvene, ſicuti narrant, extruſa, adeſt, longa pollices treſdecim, craſſitiei linearum trium, cum uno pollice.

Pleraque ex hiſce illam evomuiſſe, occaſione exorciſmorum, teſtatur Sacerdos ipſe, idque ego quoque ſemel obſervavi; plura vero ſponte eliminata eſſe, Patiens aſſerit. Sponte inſuper alia hujuſcemodi corpora, & ſaxea, & ferrea, & vitrea, modo per Anum, per Vaginam modo, alias per Uretram, ſe pluribus vicibus ejeciſſe dicit. Illa, quae e Vagina prodierunt, majoris longe dicuntur molis, quam grandiora alia corpora per os expulſa. Sanguis etiam haud raro per os una fluxit, dum ea vomeret, quae majora mole erant, pluribuſve ſpiculis inſtructa: eaque ratione ſaepius cruentae evadebant Alvi faeces. Quo uſque extraneas res illas intus gerebat, aliquando nihil dolebat, aliquando torminibus excruciata plurifariam erat, praecipue circa Ventriculum, Inteſtina, aut alias imi Ventris partes.

Verumtamen cum ab Aegrota ſciſcitatus pluries fuerim, num ipſa incongruas res illas ingurgitaſſet unquam; negavit plane, pro certo aſſerens, ſibi omnia per vim a Diabolo, ipſa non animadvertente, in ſtomachum identidem adacta eſſe.

eſſet. Hoc unum dumtaxat innuit, quod aliquoties, quum majora intra Oeſophagum urgerentur Corpora illa, ea pene attonita, ſive ſtupida remanente, ideoque hujuſce rei omnino neſcia; ſubinde, vi doloris forſan, ob enormem Pharyngis divulſionem, inopinato ſui compos iterum effecta, manu propria retrahere illa tentavit, ſed fruſtra, cum intra jam nimium intruſa fuiſſent. Appoſite narrat etiam, quod paucis abhinc menſibus [cum in Eccleſia Divi Abundii moram, orando, ageret] Saxum quoddam, ad valvam Eccleſiae poſitum, vidit, haud abſimile iis, quae alias evomuerat. Paullo poſtea [teſtatur ipſa] oeſtro quodam ibidem adeo capta fuit, quod a Saxo illo ſemovere oculum haudquaquam poſſet; etſi, vigente adhuc ipſi ratione, ab eo prorſus abhorreret. Inde ſenſibus obumbrari ſe ita ſenſit, ac ſi profundo ſomno capta eſſet. Aſt expergefacta novit poſtmodum, ſe illud idem prae manibus ſaxum habere, atque ori ſe jam admoviſſe, ut Oeſophagum violenter ſubiret; quod illa animadvertens, ideoque affatim horrore correpta; ſubito ſaxum illud abjecit; Idque ſupra modum exiſtimo conferre, una cum caeteris, nobis poſſe, ad alia ſimilia explicanda phaenomena; uti mox patebit.

Ejuſcemodi mentis aberrationes pluriſariam, quotidie fere, hiſce annis ſe paſſam eſſe, Juvenis ipſa teſtis eſt. Ideo domi ecſtatica pluries & immota diu permanſit: aliquando huc illucque per domum viſa eſt divagari: modo ad puteum acceſſit, in quem ſe projicere conabatur: haud

 raro,

raro, fanatica domo egreſſa, per Urbem tumultuarie vagabatur, quo pergeret, omnino ignorans: Nec ſemel ad Padi flumen, eodem modo, ſe contulit, jamque in aquam ſe ibi demergere tentabat. Tunc vero quum haec, aliaque hujuſcemodi abſurda, incongruaque moliretur, ea ſe egiſſe ſolummodo intelligebat, cum id aut ab aliis audiret, aut, a furibundo illo aeſtu evadens, ex ſe ipſa cognoſceret, ideoque perfecte reſipiſceret. Ideo autem miras haſce affecti animi vices a Diabolo potiſſimum repetere plerique arbitrabantur, quia Juvenis tunc pejus utplurimum ſe habere ſolebat, quum ſpecialia aderant Eccleſiae Solemnia, a quibus tunc etiam aliena eſſe ſaepe deprehenditur, ſacroſque quoslibet Eccleſiae Miniſtros odio habet, adeo ut ab ipſis penitus aliquando abhorreat, eoque magis a Confeſſario ſuo, qui, exorciſtae ſimul munere, ipſi praeeſt. Eo autem potiore jure a Daemonis pravis technis derivari illa debere, cenſentur, quod aliunde credatur, Juvenem hanc optimis moribus praeditam eſſe, ſemperque, cum ſui juris eſt, in eo caute niti, ut nihil, quod Divinae legi repugnet, operetur, atque in omnibus ita ſe gerat, uti prudentem honeſtamque Juvenem decet.

HAbes itaque, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Praeſul, peculiarium ſymptomatum ſeriem, quibus Juvenis haec obnoxia fuit, nec adhuc omnino caret. Plura recenſere neceſſe fuit, praeter conſuetum enarrationis ſimplicis morem, ut ea in propatulo ponerem, quae adnotanda ſedulo mihi viſa ſunt; tum ut aliorum genio ſatisfacerem; tum ut faciliorem mihi viam ſternerem, ad ea explicanda, quae majoris indaginis eſſent. Aliqua ſimul adnotavi, quae oppoſitae ſententiae favere exiſtimantur: adeo ut non factum rationi, ſed rationem facto, uti fas eſt, me accommodaſſe pateat.

Ut ergo ad rem propius accedamus, eo totum vergit, uti puto, quaeſtionis hujuſce momentum, quod inquiramus, utrum extranea illa corpora, per Os, atque ab aliis inferioribus partibus ejecta, a Daemone ipſo, an aliter potius, eo nil penitus operante, intruſa ſint, & quomodo: num revera, occaſione vomitus, tanta facta fuerit Oeſophagi dilatatio, quanta, ad majora educenda Saxa, cuique videri debet neceſſaria; idque ob conſuetas dumtaxat naturales cauſſas, habita illarum partium anatomica notione; an ſecus hoc aliunde evenerit. Quomodo extranea tot, dura, acuminata, & aſpera corpora, nihilum flexibilia, tamdiu aſſervari in illo corpore potuerint, abſque manifeſta, gravi

ſaltem, continentium internarum partium laeſione; & cur pleraque occaſione exorciſmorum prodierint; aliaque aliter. Num caetera, varia, & mira, quae multoties ac diverſimode Juvenis iſta; ſive animo, ſive corpore, ſive utrinque praeſtitit, vere mediis conſuetis naturalibus organis, utcunque, ob morboſam cauſſam, alteratis, peregerit: an potius, Daemonem, (qui obſeſſa Corpora non informat, ſed iis praeeſt, veluti Pilotus navi), illorum fuiſſe cauſſam, ſit judicandum. Ex quibus omnibus, tanquam per Corollaria, facile erit deducere, utrum varia, quae paſſa eſt, vulnera in Abdomine, phyſicis principiis adſcribenda ſolummodo ſint; an melius a Diabolo ſauciatam eam fuiſſe, dicamus: atque eorumdem ſanatio coelitus eidem contigerit. Ea praeſertim ultro morboſa phaenomena tunc ſimul accuratius perpendemus, quae, cum conſuetas Hyſtericae affectionis viciſſitudines longe admodum ſuperare videantur, Daemonis ope vere ſuborta eſſe, ſtatuuntur; merito ne, an ſecus, id ipſum inveſtigabimus. Pari methodo miras quaſcunque mentis aberrationes, quibus affecta fuit, perſcrutabimur: dum nempe, aut, nihil animadvertens, plura in ſe ipſam, vel in alios mala perpetrabat: aut alia quomodolibet incongrue agebat, ſive temere, quorum exinde non recordabatur: aut

alia,

alia, plurifariam inter ſe diſcrepantia, vel abſurda ſe vidiſſe, vel audiviſſe teſtabatur, quae nuſquam objecta ipſi fuerant.

Imprimis autem ſtatuendum eſſe puto, quod expulſa quaeque illa corpora vere talia ſunt, qualia videntur eſſe; cum non ſint fallaces, ut ajunt, apparentiae; qua ratione, ſaltem in hiſce caſibus, operari plerumque Daemonem ſolere, nonnulli credunt, ut doloſe ſenſus noſtros fallat. Neque ultro ſpectatorum oculos decipi, ea occaſione, ita poſſe, quiſpiam autumet, quod, Diaboli opera, adſtantes ſibi perſuadeant, quod illi vomitus evenerint; licet hoc verum haudquaquam fuerit. Non enim de uno, ſed de plurimis hic teſtibus agitur, quos aeque omnes deceptos eſſe, quis unquam aſſeret? Ego quoque ad ipſam, Te jubente, accedens, tunc cum magnum illud evomuit ſaxum, omnia prius tunc diligenter perpendi, quae adnotatu digna videri cuique poterant. Idcirco, anteaquam ipſa ſaxum illud ejiceret (uti perquam brevi futurum ab Exorciſante Sacerdote intellexeram) os Juvenis obſervavi ſedulo, ut mihi liquido conſtaret, an vere evomendum ſaxum in ore potius, quam in ventriculo aſſervatum eſſet. Neque praeterea ſibi quiſpiam perſuaſerit unquam, quod variae adeo, extraneaeque res illae omnes in Affectae Juvenis

noſtrae corpore generari ſponte potuerint; cum hoc Naturae ipſius legibus e diametro adverſetur. Tametſi enim & Tophi, & calculi multiplicis figurae, molis, atque ſubſtantiae, in Renibus, & Veſica urinaria paſſim, atque non raro in caeteris partibus coagmentari obſerventur: haud tamen inde merito conjectandum erit, quod uſpiam in nobis metallicae quaevis, aut ſaxeae, a conſuetis prorſus alienae, concretiones oboriri queant. Ideo nos quoque, cum doctiſſimo Gaſparo a Rejes (*a*) *Pomponatium & novos alios Naturae Protoplaſtes rejicimus, quod in Homine plantarum, & lapidum vires, virtuteſque inveniri poſſe aſſeverarunt: & etiam illos, qui metalla dari poſſe contendunt, una miſſos facimus; cum nec principium, nec materiam aliquam in corpore reperiri poſſibile ſit, a qua auri, aut alterius metalli mina concreſcat, cum ab Hominis ſubſtantia & temperie longe diſtent.*

Quod extraneorum hujuſcemodi corporum vomitus evenire poſſint, quamplurimos e Medicis habemus teſtes: Benivenium ſcilicet, Foreſtum, Sennertum, Luſitanum, Schenchium, Marcellum Donatum, Mangetum, Columbum, Gaſparum a Rejes, & alios, quos eruditis Medicis notos ſatis eſſe ſuppono. Theologi quoque id ipſum concedunt,

(a) *Gaſp. a Rejes Elyſ. Jucund. Quaeſ. camp. Quaeſt.* 36. *n.* 48.

dunt, illudque magis patet ex noviſſimis additionibus ad Opera Bonacinae; ubi ex Pignatello praeſertim habetur ſermo de ſpinis, vitreis fruſtis, clavis, acubus, cultris, lignis, ſaxis, oſſibus, capillis, & aliis per vomitum extruſis. De modo autem agens, quo ea ingeri potuerint, ſubdit (*a*) *dicendum cenſeo, interdum quidem haec omnia poſſe eſſe ex alia materia, quam praeſeferunt .... alias tamen eſſe veram ac naturalem ſubſtantiam, qualis exterius apparet, & ideo permanere: ingeſtam autem fuiſſe per maleficium contritam in pulverem, & intus poſtea eadem arte coaluiſſe, ut ſentit Ananias: nec impoſſibiliter, quum haec omnia ad motum localem ſpectent, ideoque ſint Daemoni poſſibilia: vel arte ingeſta fuiſſe integra, non per pororum extenſionem, ut fabulantur aliqui.... ſed intercedente, ſi opus ſit, partis ſolidae diviſione, & ſubita, ac imperceptibili reunione, ut cenſet Sylveſter.* Haſce tamen opiniones ipſe ſubinde refellit, omni jure; dum ita ait: *omnium tamen optimus, & facillimus id explicandi modus videtur, ſi aſſeratur, tales res nunquam eſſe tantae molis, quin Daemonum induſtria facile tranſire poſſint ad Inteſtina per Guttur, ſtomachique orificium, maxime quum hujuſcemodi partes, vi aliqua adhibita, poſſint etiam extra ordinem dilatari:* uti binas ex Paraeo obſervationes adfert. Verum,

(a) *V. addit. ad Op. Bonacin. Tom.* 2. *Diſput.* 4. *Quaeſt.* 1. *puncto ultimo n.* 19.

bona hujuſce doctiſſimi Auctoris venia, dicam, quod, ſi ſupponatur, extraneas haſce deglutiendas res *nunquam eſſe tantae molis, quin facile tranſire poſſint*, ſimulque ſtatuatur, partes illas, *vi aliqua adhibita, extra ordinem dilatari*: fruſtra penitus, meo judicio, Daemonum induſtria requiritur. Quotieſcunque enim naturales ſufficiant cauſsae, vanum mehercle eſt ſuperiores incaſſum adhibere.

Verum in noſtro caſu, quia pleraeque res illae, per vomitum eductae, longe admodum Oeſophagi capacitatem mole ſuperare viſae ſunt; eo difficilius videtur captu, quod illuc pertranſierint, atque inde per vomitum eliminatae commode fuerint, ſaltem abſque violenta Oeſophagi & pharyngis extenſione, laceratione, imo omnimoda diſruptione, propter quam ſummopere Juvenis illa periclitata eſſet. Etenim plurimi ad hoc facienda eſt *morbi non deſcripti prius hiſtoria* (*a*) ab immortali Hermanno Boerhaavio accuratiſſime exarata. Agit porro de mira Oeſophagi dilaceratione, in Nobiliſſimo quodam Aegroto facta, propterquam aſſumpta quaelibet in Thoracis cavum, una cum Aere clanculum effuſa, atque in dies magis magiſque accumulata, graviſſimum & complicatum illi attulerant morbum, ex quo poſtmodum obierat. Cum autem mirae illius

rupturae

(a) *Boerhaav. addit. ad Elem. Chemiae Tom. 2.*

rupturae cauſſam aſſequi tentaret (quam neque ab ulcere jam pridem ibidem genito, neque ab alia lenta labe in membranaceis tunicis facta, repetendam fore, diſſecto Cadavere, aperte novit) mirabatur admodum Praeſtantiſſimus Auctor; maxime cum, ut ipſe ſubdit, *nulla appareret vicina, aut contigua pars, quae, vi ſua agere poſſet in hunc tubum tanta cum diſtractione, ut diſcerperetur ille hactenus integer*; obſtante praecipue contexentium fibrarum valenti tenacitate, & robore. Quibus omnibus penſitatis, ita tandem concludit. *Credibile videtur, cum ſeptem vaſa infuſi ex Carduo Benedicto hauſiſſet, indeque evomuiſſet parum, diſtentum ſatis fuiſſe ventriculum hoc tempore, neque deorſum, conſtricto pyloro, demiſiſſe quidquam. Solet enim tanto difficilius ſe exonerare ille, quo magis impletus turget. Quia vero infarctu turgidus, ſemper deorſum, atque antrorſum agitur, utroque ſane modo fortiſſime omnem niſum impendit diaphragmati, cui concrevit, atque ſtomacho, cui producto connaſcitur. Protinus ergo anxio, atque oppreſſo, a tanta aquae copia ſummi fuerunt tentati, & adhibiti, & fruſtra diu, vomendi conatus. Sed in hoc quidem fortiſſimo niſu, qui fit, convulſo violenter verſus inferiora ſepto, tenſus jam a tumente prius ventriculo, atque a gula, intruſo faucibus digito, ſurſum tracta ſimulque irritata, ſtomachus dilaceratus extemplo videtur*. Haud parvi autem momenti videntur eſſe rationes iſtae a Boerhaavio

propo-

propoſitae: Pylori nempe totalis conſtrictio; Ventriculi maxima diſtenſio a tanta aquae copia; iterati & violenti ad vomitum conatus, fruſtra & diu tentati: quod inde ſubita Oeſophagi ruptura contigerit. Secus vero, ſi ad rem noſtram accedamus, eo minus admirabimur, quod, ex enarratis vomitibus, in Juvene illa Oeſophagus nunquam diſruptus ſit; attenta videlicet univerſali fibrarum tenaci admodum conſtitutione; eoque magis, ſi ex relatis animadvertamus, quod cum primum extraneas res illas evomere coepit, diuturno tempore minora mole primum prodierunt corpora, quae aut facile Oeſophagi cavo aptari poterant, aut illud parumper tantum tunc excedebant, adeo ut, modica addita vi, pertranſire poſſent. Eapropter, cum ex iteratis aliorum ſucceſſive majorum & majorum corporum ingurgitationibus, iiſque per vim identidem factis, aequa proportione Oeſophagi cavitas ſenſim & ſine ſenſu augeretur; mirari quiſque deſinet, quod maximis ultro devorandis & evomendis corporibus aditus pateret; uti nuperrime eveniſſe aſſeritur. Revera talis in omnibus eſt Oeſophagi contextus, quod ejus membranae ductiles admodum ſint, ut (praecipue cum earumdem fibrae tenaciores exiſtunt) ſummopere extendi valeant, ac proinde Oeſophagi cavum, ex repetitis toties

paulatim

paullatim conatibus, ad enormem capacitatem redigatur. Id facile experiri quiſque poteſt in demortuorum Hominum Cadaveribus (quorum caeteroquin fibrae ſecus ac in viventibus, ad ſe mutuo magis accedunt, corrugantur, minuſque diſtrahi poſſunt, ideoque, adnotante Gaſparo a Rejes, (*a*) *certum eſt, meatus & vias in viventibus multo magis quam in mortuis patere*, in quibus Oeſophagus & flatu, & immiſſa calente aqua, aut ſolidioribus etiam, uti fas ſit, intruſis corporibus, ſupra modum dilatatur. Hoc mihi nuper oſtendit Celeberrimus Mediolanenſis Arcinoſocomii diſsector Anatomicus, & Chirurgus Praeſtantiſſimus Dominus Bernardinus Moſcatus. Non alia ſane ratione intelligimus, quî fiat ut Helluones nonnulli, Panis, & Carnis, & aliorum etiam ſolidorum ciborum grandia ſatis fruſta, abſque ulla maſticatione, devorare obſerventur, & integra quoque dura ova: quod ex longo potiſſimum uſu (propter quem paulatim Oeſophagus dilatatur) facilius quam alii praeſtare ipſi poſſunt. Specialem hic referam obſervationem D. M. Amyand. (*b*) Agit ibidem de Homine ab infantia ſtolido, qui trigeſimo tertio aetatis ſuae anno mortuus

(a) *Gaſp. a Rejes Quaeſ.* 92.

(b) *Extr. Tranſac. Philoſoph. Tom.* 3. *a D. Dereham Ital. traduc. parag.* 17.

tuus eſt; ſectoque ipſius cadavere, in ejus ſtomacho mira, quae ſequuntur, inventa ſunt. *Nove chiodi da Carro, e ſei più piccoli; una gran vite di ferro; due para di ſeſte, l' una delle quali aveva un cerchio di due dita di diametro; una chiave di mezzana grandezza; uno ſpillo di ferro della groſſezza del mio dito groſſo, e longo quattro dita, con un anello in fondo; un' altro di ottone ma minore; la manica di ferro di un coltello a molla, inghiottito intiero a quel che ſi crede, ma i lati, ed i due pezzi componenti la molla trovati ſeparati .... La eſtremità di ſopra, e di ſotto di una palla di ottone di un focolare, che peſava nove oncie; un largo pezzo di piombo, che peſava tre oncie e mezza. Il tutto conſiſtente in 28. pezzi, peſando circa quattro libbre.* Quo ad rationem vero, propter quam magna illa corpora per Oeſophagum traducta eſſent, haec ſubdit. *Egli è neceſſario il riflettere, che Coſtui ſino dalla ſua fanciullezza, ſi era aſſuefatto a inghiottire de' groſſi bocconi da ghiotto, e ſenza maſticare, lo chè ſenza dubbio rendè più largo il canale dell' Eſofago, e lo diſpoſe a far ſtrada a tutti quei corpi eſtranei.* Bartholinus etiam (*a*) concedit, utrumque Ventriculi Orificium dilatari valde poſſe (ac par ratio de Oeſophago quoque militabit): quare ſic concludit. *Hinc varia exempla teſtantur, ſaepe deglutita fuiſſe, & per vomitum & ſeceſſum*

rejecta,

(a) *Barthol. lib.* 1. *Anatom. de Imo Ventre*.

rejecta, quae oppido magna fuere; ut anuli aurei, nuclei, cultelli, lapilli, ferramenta, ranae, lacertae, ſerpentes, anguillae integrae, fiſtulae muſicales, nummi &c. Ideo Dioniſ. (*a*) ſtatuit, quod Ventriculus, *étant membraneux, il peut s' étendre & ſe reſſerrer fort facilement, puiſqu' il peut contenir à la fois juſq' à trois pintes de vin ou d'eau meſure de Paris, & trois ou quatre livres de Viande.* In Helluonibus & Potatoribus adeo dilatari poſſe Ventriculum docet Veslingius (*b*) quod *duas cum dimidia ſcopas capiat, imo vidit, Clariſs. Dom. ad Falcoburgium, Anatomicum diligentiſſimum, in publico Theatro, coram Spectatoribus, tres infudiſſe.*

Verumtamen ut veroſimilius unicuique pateat, quantae nam extenſionis Oeſophagus per vim, diuturno ſaltem tempore, reddi ſenſim & ſine ſenſu queat: opportunum eſſe cenſeo, quod maximae aliarum partium noſtri Corporis dilatationes attendantur, quae ſane magis obviae ſunt, quarum innumerae pene apud accuratiores Anatomicos recenſentur. Arteriae quaeque imprimis (etſi ſtrictiore fibrarum, minus ductilium, quam in Oeſophago, nexu cohaereant) aliquando ſummopere dilatantur, uti aneuryſmata teſtantur. Cor etiam duplo, triplo, & ultra etiam majus mole, quam uniuſ-

(a) *Dioniſ. 2. Demonſtr. Anatom. pag.* 163.
(b) *Vesling. cap.* 3. *in Comm. Synt. Anatom.*

uniuſcujuſque naturalis conſtitutio poſcit, in morbis haud raro evadit. In aliis inſuper partibus dilatationes magnae paſſim eveniunt, tum in extimis, tum in intimis, ac potiſſimum membranaceis, occaſione praecipue Tumorum quorumlibet, aliarumve affectionum. Ruyſchius enormem refert Inteſtini Coli dilatationem, in Puella, quinque annos nata (*a*) cujus *aperto cadaverculo, praeter eam Inteſtini Coli partem, quae Rectum nominari incipit, vix ullum, [mirum dictu] Abdominis viſcus conſpicere potui, idque propter enormem extenſionem in dicta Inteſtini Coli parte, ſub qua caetera latitabant viſcera*. Alterum ex Renibus adeo adauctum, ex morbo, ego ipſe quondam reperi in Cadavere Religioſi cujuſdam, diu admodum renalibus affectibus detento, ut decuplo major, quam in naturali ſtatu, evaſiſſet. *Veſicam quoque urinariam* (b) *ob perpetim affluens lotium, ſaepius in magnam molem creſcere mirum non eſt, utpote quae, praeter ſubſtantiam membranaceam, Serum continue appellens prompte imbibit, eodemque accumulato admodum extenditur*. Atque par de Oeſophagi dilatatione militare ratio merito poteſt; cum aſſidue affluente illuc lympha humeſcat, laxeturque: praeter affluxum potulentorum quorumlibet, ſolidorumque etiam alimentorum; quae in-

ſuper

(a) *Ruyſchius Obſerv* 92.

(b) *Ruyſch. Obſerv.* 99.

ſuper, pro ratione molis, illius contextum laxiorem reddunt, ac deinceps ejus cavitatem augeri, vehementer cogunt. In longum ita adauctam urinariam veſicam paucis abhinc annis, in Nobili Praepoſito Cremonae obſervavimus, quod mirum in modum, praeter conſuetum, ad Inguinis alteram partem reflexa, laxato Peritonaeo, uſque in fundum Scroti intra vaginalem Teſticuli tunicam declinaſſet, adinſtar Inteſtinalis Herniae; Quare, affluente illuc urina, ſummopere Scrotum deorſum urgeretur, illudque proinde elevare manibus oporteret, quoties mingendi occaſio poſceret.

Utque exempla caſui noſtro conformia magis adferamus, animadvertere ſatis erit, quantum & quam facile Ureteres, qui ſimilem admodum Oeſophago texturam obtinent, maximis ſaepe calculis aditum concedendo, dilatari valeant; veluti plurimae apud Anatomicos & Medicos obſervationes extant. Prae caeteris Fridericus Hoffmannus (*a*) de illuſtri Comite loquitur, *qui intra decem horarum decurſum ultra duodecim urinae menſuras, incredibile dictu, excreverat*, in cujus cadavere poſtea invenit *Ureterem dexterum inſigniter & farciminis inſtar expanſum*. Ruyſchius etiam (*b*) Renes ovillos ſe vidiſſe refert *ita expan-*

(a) *Frideric. Hoffm. Conſult. Sec.* 3. *Caſ.* 85.
(b) *Ruyſch. Obſerv.* 99.

expanſos, & humore aquoſo repletos, ut duas fere pintas interque contineret. Ureteres admodum tortuoſi, & tantae erant capacitatis, ut radicem majorem paſtinacae admitterent. Alia adeſt Ruyſchii obſervatio (*a*) prodigioſi Ureteris, integram puris pintam continentis, ibidemque *nil magis admiratione dignum* eſſe monet, *quam vaſa membranacea, quo magis diſtenduntur, eo magis ſaepe ab humore heterogeneo incraſſari*: quare fit, quod exinde non adeo facile, ut ſibi quiſpiam fortaſſe perſuadeat, diſrumpantur: ſicuti de Oeſophago dici potiore jure debet, cum laxioris, uti innuimus, texturae ſit, ac ejus fibrae ductiles appareant, totaque ipſius ſubſtantia affluentibus illuc indeſinenter liquoribus irroretur, quibus etiam pene imbuitur; praeter affluxum liquidorum, qui ipſi ab extra, una cum aſſumptis, accedunt. Quamobrem inficiari nemo ſane poterit, quod, ſi Ureteres, qui in ſtatu naturali minimae admodum capacitatis ſunt, ſextuplo, decuplo, ac deinceps dilatari poſſe obſervantur; ſive ob nimium urinae affluxum, ſive ob vim urgentium calculorum, ad Veſicam tendentium: eo longe minus mirum ſit, quod noſtrae Juvenis Oeſophagus, ob allatas ſupra rationes omnes, duplo & ultro major extenſione evaſerit; non modo ob violentas ejuſdem iteratas divulſiones, ab adactis intra pluries

(a) *Ruyſch. Obſerv.* 94.

pluries ſolidis & magnis corporibus illis, ſed etiam ob lacerationes ibidem haud raro factas; uti aliquoties oſtendit ſanguis ipſe per vomitum & per alvum, una cum majoribus corporibus, excretus. Non abs re ultro mihi videtur hiſce addere, quod Juvenis noſtra amplum plus ſolito habet oris cavum, unde majorem etiam, aequa ratione, Oeſophagi tubum antea extitiſſe, conſentaneum erit conjicere. Siquidem eodem modo, quo Bartholinus (*a*) ex magnitudine oris, Ventriculi magnitudinem agnoſci poſſe indicat: nos pari pacto capacitatis Oeſophagi menſuram inde deducere rationabiliter intendimus: maxime quia Ventriculus revera ex Oeſophagi continuatione proficiſcitur. Cum itaque ex recenſitis obſervationibus, (cujuſmodi plurimas alias adducere facile eſſet) atque rationibus, liquido conſtet, Oeſophagum, ob naturales ſolas etiam cauſſas, extra modum dilatari poſſe; veriſimile etiam, ne dicam certum eſſe, Rationalis quiſque Medicus intelliget, quod abſque ullo, ne minimo quidem Daemonis adminiculo, extraneae res illae omnes, & grandiores etiam, eumdem pervaſerint tubum.

Nihilo tamen ſecius, tametſi poſſibilis concedatur, ſecluſis penitus ſuperioribus cauſſis, hujuſcemodi dilatatio; longe majus arduumque ſupereſſe

 nego-

(*a*) *Barthol. Anatom. lib.* 1. *de Imo Ventr.*

negotium aliqui, plus aequo creduli, exiſtimabunt; ut modus ſcilicet & ratio pateat, unde recenſita corpora tam varia, & incongrua in ejus ſtomachum intruſa ſint, aliaſve partes etiam ſubierint, ibidemque diu adeo, ut dicitur, abſque gravi noxa delituerint. Neque enim adduci ſe adeo ſinunt, ut credant, quod Juvenis ipſa ſponte ea quomodocunque deglutierit, aut deglutire ab alio coacta ſit; cum utrumque illa penitus neget, imo aliunde impoſſibile illud prorſus, ex naturalibus cauſſis, eſſe cenſeatur. Ideo, cum illa in corpore generari nullo modo potuerint (ut ſupra innuimus) ſatius eſſe arbitrantur, quod dicamus, Diabolum ipſum, Juvene non advertente, ea omnia in ejus ſtomachum parteſque caeteras doloſe adegiſſe. Id ipſum ego quoque libenter concederem, niſi aliunde innumeris plane exemplis compertum haberemus, inſanum quemque Hominem, quo uſque rationis eſt expers, abſurda quaeque peragere poſſe, quin imo in alios aeque ac in ſe ipſum graviter, ac plurifariam ſaevire, plus ſolito audacem eſſe, viribus valere, atque nefanda quaelibet & ſceleſta perpetrare, quae impoſſibilia fere videntur eſſe, cum rationi ipſi plurimum repugnent. Quid quod ſi dicamus vafros adeo quandoque obſervatos fuiſſe Homines, qui, quaeſtus ſolius cauſſa, ea peragere hujuſcemodi

polli-

pollicebantur, ac revera praeſtabant, quae humanum propemodum ſuperarent captum? uti Circulatores, Hyſtriones, aliique hujuſce cenſus Homines paſſim efficiunt. De hiſce quoque meminit Schenchius (*a*) aſſerens, quod *Quidam vel volentes, vel mercede incitati, varia, veluti urceos vitreos, vitra confracta, clavos ferreos, mucronem, coria, teſtas, lapides, ligna, piſces aliquando aculeatos quoque, anguillam vivam, porros octoginta, tres thalleros, cordam cum cruce, gemmis & quadraginta unionibus inſtructiſſimam, deglutierunt, quae paullo poſt, ſine vitae periculo per Anum egeſſerunt.* Nec defuerunt alii, qui nihil injucundum reputantes, ceu nullo ſenſu guſtus praediti, omnia & quaecunque ipſis oblata erant, illico ingurgitabant: cujuſmodi ſpecialem hiſtoriam recenſet Celeberrimus Anatomicus Civis noſter Realdus Columbus, (*b*) quam, utpote caſui noſtro perquam faventem, iiſdem referre verbis neceſſum eſt. *Sed quod majore admiratione me affecit, fuit inſpectio Lazari vitri voracis, vulgo dicti, quem Patritii omnes Veneti, imo Veneti omnes, omnes Ferrarienſes de facie noverant. Hic nullo prorſus guſtu, dum viveret, praeditus erat; nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum perſentiebat. Inſipida, amara,*

 dulcia,

(a) *Schench. lib.* 3. *Obſerv. Medic.*

(b) *Real. Columb. lib.* 15. *de iis, quae raro in Anatome contingunt.*

dulcia, pinguia, ſalſa, acria non diſtinguebat. Vitrum, ſaxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, Piſces e vivario extractos adhuc ſalientes vorabat. Vorabat lutum, lineos laneoſque pannos, foenum, ſtipulam, &, ut brevi omnia complectar, quidquid Homines, quidquid Animantia vorant. Quidquid illi edendum, ſeu deglutiendum potius offerebatis, mercede propoſita, dictum & factum ingurgitabat. Teſtis eſt inter reliquos Martinus Aromatarius Patavii ad Angeli inſigne, cui ſacculum carbone refertum, & ſaccum inſuper devoravit, quo viſo, perſolvit, quod pollicitus fuerat, comminatus, ne ad pharmacopolium amplius accederet, veritus ne ſe cum taberna & vaſis eſitaret. Licet autem haec ut inſolita prorſus admiraretur Columbus, tantum nihilominus abfuit, quod eorum principium rationemve a Superis, aut a Daemone, in illo Corpore agente, repetendam inconſulto eſſe putaret; ut potius, Exta cadaveris diligenter inveſtigando, naturalem aſſequi ſe poſſe cauſſam exiſtimaverit: idque ſibi fauſto inde omine eveniſſe ſic teſtatur. *Quum igitur hoc naturae monſtrum mihi diſſecandum eſſet Patavii, coepi hujuſce rei diligenter, quoad ejus fieri potuit, cauſſam venari, quam me tandem, Deo duce, ex particulari illius ſtructura, aſſecutum eſſe confido. Nam quarta nervorum conjugatio, quae guſtus gratia in aliis Hominibus a natura producta eſt, in hoc Lazaro vitri vorace, neque ad palatum, neque ad linguam reptabat, ſed ad occipitium reflectebatur.* Appetitus etiam

canini

canini genuinam cauſſam a Pyloro relaxato non immerito repetit Ruyſchius, (*a*) de Muliere quadam agens, quae *aſſidua aviditate cibos ingerere debuit, ac voluit*: cujus Pylorus ita relaxatus inventus eſt, *ut omnes junctim compoſitos digitos admitteret*. Si itaque in primo caſu a mala nervorum diſtributione, in ſecundo a Pyloro relaxato ſupra recenſita phaenomena deducere, cum Clariſſimis hiſce Viris, nemo uti puto, renuet: aeque facile concedendum erit, a vitioſis aliis earumdem partium, aliarumve, hiſce muneribus inſervientium, diſpoſitionibus, iiſque magis complicatis, mira tot alia appetitus laeſi accidentia repetere, incongruum haudquaquam fore. Siquidem morboſis hujuſcemodi affectibus pravam gaſtricorum quoque ſuccorum diatheſim conferre plurimum inſuper poſſe, Clinici omnes docent: unde *Cittae, ſeu Picae, Bulimi, ac Malaciae* variae quaeque viciſſitudines, expertis Medicis paſſim obviae, ſuboriuntur: quarum innumerae apud Clinicos obſervationes recenſentur. Tunc quippe obſervamus, (*b*) *quod Picae vitio laborantes nonnulla avidiſſime appetant, quae alii, ſano guſtu & Ventriculo exiſtentes, aſpernari ſolent, imo ita abhorrere, ut ne tantillum, quamvis magno pretio pollicito, deguſtarent*. Utplurimum morbus

(a) *Ruyſch. Obſerv.* 74.

(b) *Marcell. Donat. lib.* 2. *cap.* 1. *Hiſtor. Medic.*

bus iſte Virginibus, & Praegnantibus familiaris eſt; Pueris interdum, rarius autem Viris contingit; ac proinde variat in omnibus, pro varietate peccantium humorum, aut peculiaris affectorum Corporum conſtitutionis. De hoc morbo praecitatus Donatus agens, plurima recenſet exempla, ab aliis quoque Auctoribus petita: cujuſmodi, prae caeteris, ſunt Puellae illius, quae, Lacertorum deſiderio capta, illos avide expetebat & vorabat: alterius quinquagenariae feminae, (*a*) *quae tantum comedit Tartari, quod ejus quantitas eſſet incredibilis*: Viri, *qui calcis vivae deſiderio jamdiu preſſus, illam tandem pugni magnitudine voravit*. Huc etiam ſpectat ſpecialis obſervatio Amati Luſitani, de Filia duodecim annos nata, quae *Citta* morbo vexata, (*b*) *indiſcrete lapillos, terram, calculos, cretam, goſſipium, lanam, & varia ſimilia comedebat, & ita iiſdem delectabatur, ut inter ſuendum ejus pulvinaris, ſuper quo Mulieres ſuere ſolent, goſſipium ſuavi appetitu comederet, tametſi a Matre & Adſtantibus increpabatur; nec enim praedicta tantum comedebat, ſed abſurdiſſimos alios cibos*. Peculiares etiam a Schenchio obſervationes licet eruere: (*c*) ut illius Puellae, *quae fila ex veſtibus, quibus erant conſutae, extrahebat*

(a) *Donatus ibidem.*

(b) *Amat. Luſitan. Centur. 3. Curat.* 86.

(c) *Schench. lib. 3. Obſerv. Medic.*

trahebat ac comedebat: Alterius araneas venantis, ut eas devoraret, quo cibo oblectabatur: Aeditivi illius, *qui jam pluribus annis arenam avidiſſime appetebat, & devorabat, inde ſe magnam valetudinis commoditatem percipere aſſerens*: Monaci cujuſdam, *qui cretam ſecum perpetuo gerebat, eam magna voluptate comedens*: Robuſti illius Hominis ex Pago comitatus Hirsbergenſis, qui *fruſta colliſarum ollarum*, quocunque pergeret, *ſecum ferre ſolebat, & dentibus non minori appetitu comminuere, ac ſi panem biſcoctum, aut libum duriuſculum manderet*: Mulieris illius, aſſerente Gaſparo Vvolfio, quae *quotidie ſolita fuit comedere bonam partem arenae, tantoque appetitu & delectatione veſcebatur, ut ea carere nunquam poſſet, ut etiam noctu vicinam lecto reponeret, ut praeſto eſſet; arena erat non limoſa, ſed granuloſa; pro vice tantum capiebat, quantum pugno comprehendere poterat*. Alia quoque plura adſunt exempla apud Mangetum, ut omittam Sennertum, alioſque Practicos omnes, qui de hujuſcemodi pravi appetitus varietatibus ediſſerunt. Talis porro cenſus eſt obſervatio Filiae Conſulis Amſtelodamenſis, quae (a) *avide, & ad ſatietatem uſque fruita eſt ceſpite ſulphureo, & plumbi laminis, minutatim conciſis, adinſtar alimenti*. Puella alia *quotidie multum calcis atque luti de parietibus deglubere, & deglutire ſolebat*. Alia *videns picem avide appetebat, & panem*

(a) *Manget. Bibliothec. Medic. pract. Tom.* 3. *lib.* 11.

candidum in ea intinctum laute comedebat, ac ſi ferculum opiparum eſſet. Tandem in Scholio ex Schröckio ſubdit Mangetus ipſe, quod depravatus appetitus iſte, *quem Picam vel Malaciam vocant, in quam varia, inſolita, abſurda, & noxia feratur; abunde ex hiſtoriis innotuerit. Hinc piſces, & gammaros vivos, angues, lacertas, araneas, lanam, corium, pelles crudas, crines, ſtercora, tartarum, atramentum, frumentum crudum, lignum, carbones, picem, reſinam, ſtramen, goſſipium, ſtupam, fila, chartam, ellychnia, & emunctoriorum contenta, lapides, arenam, lutum, terram, cretam rubram, fictilia, calcem vivam, ceſpites ſulphureos, glaciem, ceruſſam, plumbum &c. quaſdam devoraſſe legimus*.

Verumtamen haud quidquam, ſcrupuloſis quibuſdam, ad ſupernaturalia ſatis pronis, ad rem noſtram conferre poſſe videbuntur obſervationes iſtae, aliaeque ſimiles (tametſi ad rem noſtram conferant maxime) cum in hiſce incongruarum earum rerum, utcunque aſſumptarum, appetitus praeceſſiſſe, concedatur: ſecus autem Juvenis noſtra nihilum prorſus corpora illa appetierit, quae per vomitum pluribus vicibus eam eliminaſſe teſtantur: quin imo aliena ab ipſis omnino comperta ſemper fuerit, atque in praeſens etiam abhorreat; uti pluries ipſa aſſerere minime dubitavit. Ideo aliunde melius hujuſce phaenomeni, aliorumque ſymptomatum, quibus identidem ac diverſimode labo-

laboravit, rationem expetendam eſſe ſtatuunt: dicendo ſcilicet, quod ipſa ſponte res illas unquam non ingurgitaverit, ſed per vim ab extra in ejus Oeſophagum atque Ventriculum adacta ſint, Daemonis ope: quippe quod iſte haec, & majora etiam in Hominum perniciem efficiendi poteſtatem habet: quare ſimul & Aegrotae mentem adeo perturbaverit, ut, cum talia ipſi contigerint, animadvertere illa neutiquam potuerit: ac proinde, ob eamdem cauſſam, mente capta etiam aliquoties evaſerit, quod & plura ſe vidiſſe & audiviſſe ipſa quandoque putaverit, quae vere nec audierat, nec viderat unquam: aliaque demum operata pluries fuerit, quae aut rationi, aut prudentiae ſaltem, aut utrique refragari cenſebantur, ita quod eorum minime recordaretur, ac ſi in inſomniis ipſi ſolum eveniſſent. Porro ad haec omnia praehabiti maleficii, ex eſu Mali illius medici, eidem ab Amaſio propinati, manifeſtas eruere fas eſſe notas arbitrantur: adeo ut oppoſitum evinci nullo modo queat, atque etiam ſupervacaneum videatur penitus, ne dicam impium, aliunde ad ea tutius quodpiam attendere ratiocinium. Ego vero, ne joco tractare alios, in re neutiquam jocoſa, imo ſummi revera momenti, videar potius, quam philoſophari: hujuſce morbi viciſſitudines dictas praeſertim inveſti-

veſtigandas mihi ſedulo eſſe reor; ut meum ſub inde judicium proferam. Equidem, dum habitarum ab ea Juvene viſionum, aliorumque, quae abſque norma quomodocunque praeſtitit, aut paſſa eſt, principium a naturalibus dumtaxat cauſſis obtinere me poſſe cenſeo: non is ego ſum, qui fabulas in rebus ſeriis venditare velim; ac ſi Juvenem noſtram pro altero Polo habendam eſſe decernerem, qui, uti lepide narrat Eraſmus, (*a*) admirantium Sociorum oculos attonitos in Coelum figi quaerens, illic *immanem Draconem, igneis armatum cornibus, cauda in circulum retorta*, ſe intueri aſſerebat, quem caeteroquin minime videbat; ut alia taceam, quae jocoſe ſubinde peregit, ut circa ſuppoſitum quoddam horribile ſpectrum aſtute illos ludificaret. Nullam enim, aut in hiſce, aut in aliis malitiae notam infelici Aegrotae adſcribendam merito fore plerique ſtatuunt; etſi oppoſitum aliqui putent; quod tamen mihi haud ſatis conſtat. Cum autem de internis hiſce mentis actibus nullum haberi certum ſignum valeat; ex ipſius aſſerto, teſte Sacerdote ipſi aſſiſtente, conſtare ſatis credimus, ipſam ea omnia vidiſſe, aut, mavis, ſibi viſam eſſe intueri, iiſque propemodum formis, ut ipſa retulit pluries, ac ſi ipſi obvia tunc fuiſſent; quapropter & incongrua tot

alia

(a) *Deſid. Eraſm. in colloq. ſub titulo Exorciſm.*

alia peregit, eoque animo, ac ſi omnimode rationi conformia forent. Etenim aliud eſt, quod ea omnia revera viderit, ſanoque judicio ipſa contemplata fuerit; aliud, quod ſe vidiſſe ſolum tunc ſit opinata: uti & caetera ſe prudenter, & cum ratione praeſtare exiſtimabat, ac ſi recto ſe in ea ferri judicio crederet, quotieſcunque mente eſſet capta; quorum alioquin omnium, exinde ſui compos effecta, prorſus obliviſcebatur.

Anteaquam tamen haec, aliaque ad ea pertinentia, explicare, uti valeo, contendam, operae pretium eſſe puto, ut alia praeponantur, quibus communem in hoc vulgi opinionem, in propoſitum noſtrum, coerceam; tum circa poſſibilem Daemonis actionem in Humana Corpora; tum circa ſuppoſitum maleficium, quod, ex Malo illo medico, in Juvenem noſtram derivatum in primis fuiſſe, firmum ratumque plerique habent.

Quod ad primum attinet, iis libenter totoque animo acquieſco, qui, ſacris Oraculis innixi, certo certius autumant, non ſolum Daemones exiſtere, verum etiam iſtiuſmodi, & pejorum quoque malorum aerumnas in Hominibus, permittente, ut ajunt, Deo, excitare pro lubito poſſe, ſive per ſe & immediate, ſive praeviis Sceleſtorum Hominum praeſtigiis, incantationibus, ſeu mavis maleficiis.

C'eſt

C'eſt une verité de Foy (ait Clariſſimus P. Le Brun) (a) *que Dieu à laſſé du pouvoir aux Démons, & qu'il leur permet en pluſieurs rencontres de le mettre en exécution. Les poſſeſſions frequentes qu'on a vues dans les premiers ſiécles de l'Egliſe, en ſont témoignage autentique.* Addam inſuper cum eodem Auctore id, quod cum Gerſone ſtatuit merito. *Certainement c'eſt une impiété & un erreur directement contraire aux Saintes Lettres, que de nier que les Démons ſojent Aucteurs de pluſieurs effets ſurprenans, & ceux qui regardent tout ce qu'on en dit comme une fable, & qui ſe moquent des Théologiens, des qu'ils attribuent quelques effets aux Démons, méritojent une ſévére correction.... Plût à Dieu qu'il ne ſe trouvat plus de perſonnes de ce caractére! Mais on en verra toujours qui vous diront de ſang froid, qu'ils ne ſe peuvent croire ni prodiges, ni miracles, parcequ'ils n'ont jamais rien vû d'extraordinaire. Ne diſputons point avec de telles gens. Quand on veut être incrédule, on l'eſt même parmi les prodiges & les miracles.* Neque ſolum Daemonis ejuſcemodi vires, ex Sacris Hiſtoriis multoties confirmatae ſunt, quibus oppoſitum quidquam aſſerere ſceleſtum arbitror; verum etiam id ex veterum plerorumque Philoſophorum ac Medicorum doctrinis aperte evincitnr; quamquam ipſis Sacrae Religionis noſtrae Oracula nullam penitus attuliſſent

(a) *P. Le Brun lib.* 2 *chap.* 1. *du diſcernem. de la vérité.*

ſent lucem. Hippocrates ipſe prae caeteris, animadvertente Liceto, (*a*) dum ſeptem divinorum genera in morbis inveſtiganda eſſe Medicis indicat, de Maleficio Cacodaemonis ſpeciatim agit. Idcirco Ethnici quoque, praeter Coeleſtes Deos, quibus parentare conſueverant, ut ab illis neceſſaria obtinerent bona, malis ultro Daemonibus hoſtias offerebant, juxta tritum adagium illud: *Immolandum Diis inferis, ne noceant*; quos proinde Genios malos, Everſores, averruncatores, pernicioſos, fraudolentos, ac uno verbo Hominibus infenſiſſimos appellabant: de quibus omnibus plura vide apud Gyraldum. Idcirco Hippocrates (uti ibidem adnotat Licetus) *jubet in morbis, in quibus aliquid eſſe divinum exiſtimat, aut ſuſpicatur, ab Aegrotante ſupplicationes fieri, primum quidem Diis Coeleſtibus, Jovi, Minervae, Mercurio, Apollini &c. & aliis Diis inferis everſoribus*. Id ipſum vero Numini praeſtandum potiore jure eſſe, Catholici Medici ſuadent, imo pro virili hortantur; quotieſcunque iſtiuſmodi Daemoniaci occurrunt morbi, qui & Medicas doctrinas, atque Medicamentorum quorumvis vires prorſus eludunt. Haec autem dicta appoſite velim, ut illorum potiſſimum audaciam cohibeam, qui ſaniores quoſcunque Medicos (quia cauti magis, uti ſummopere intereſt, videntur eſſe, ad

(a) *Fortun. Licet. de Tertio-quaeſit. per Epiſt. c.* 15.

ad divinum hoc principium, juxta Hippocratis mentem, in morbis concedendum) veluti Atheos, temerarios, contumaceſque nimis, ceu ſacrae Religionis noſtrae inconcuſſis dogmatibus adverſantes, maleſano judicio reputandos eſſe, firmiter ſtatuunt, atque publice id effari neutiquam erubeſcunt. Verumtamen eos ipſos potius admonendos hic eſſe reor, ut caveant ſedulo, ne falſis commentis ſuis, quae pro veris paſſim in hiſce rebus venditare ſatagunt, ea, quae veriſſima alioquin ſunt, in dubium revocandi haud levem Haereticis anſam praebeant. *Car en accréditant* (*a*) *des récits, & des hiſtoires dont on vient à reconoitre enſuite la fauſſeté, on donne lieu à certaines perſonnes de douter de tout qu' ils entendent dire d' extraordinaire, & de nier les faits les plus conſtans, parcequ' on leur a donné pour certains & pour inconteſtables des faits douteux & incertains.* Caute ideo & perquam caute ſe gerere Catholicus quiſque debet, ne ullum unquam ſuper hiſce, abſque congrua ſeriaque meditatione, judicium proferat, cujus ſubinde turpiter poeniteat. Quandoque enim, ne dicam ſaepiſſime, evenit, ut verum illud comperiatur, quod habetur apud Anonymum quemdam, (*b*) qui ad rem noſtram haec habet. *Quand un Homme eſt*

atteint

(a) *P. Le Brun lib. 2. c. 7. du Diſcernem. de la vérité.*
(b) *Lettres Juives Tom. 1. lettr. 32.*

atteint de la Folie Démoniaque, & frappè d'une erreur auſſi pernicieuſe, les Prétres guériſſent un menſogne par un autre. La méme prévention, qui cauſe l'extravagance des miſérables qui croiént être poſſedez, leur perſuade, que le Remede qu'on leur donne eſt infaillible: leur mal ceſſe; par la calme, qui revient dans leur imagination, & qui ſuccede à l'egurement dans lequel la crainte l'avoit plongée. Ainſi, ils ſont toujours le jovët de leur préjugés: leur Repos & leur Tranquilitè en ſont une ſuite neceſſaire. Porro in hiſce, uti & in aliis, maximam praecipue apud Sapientes omnes promeritus eſt commendationem Summus Pontifex noſter Benedictus XIV. in eruditiſſimis ſuis libris (*a*), ubi, cum ejuſcemodi fallacias aperte indicaſſet, ex Valleſio ſtatuit, *Veriſimile eſſe, plurimos eorum, qui Daemonis opinione ad Exorciſtas deferuntur, Daemonem non habere, ſed morbis aliquibus teneri, & prae inopia conſilii, cum tentatae ſint aliae curationes antea, nec ſufficiant, deferri ad illos.* Aedepol! optimum hoc, ac valde obvium ignorantiae refugium eſt, quo ignari etiam cujuſvis Medici famam ſuffulciri optime poſſe, nemo non videt. Circa haec autem decipi adeo, neſcio quo fato, Mundus amat, ut & in utramque partem inconſulto rapi plurimi obſerventur: cum alii nempe facile nimis qui-

(a) *Lambertin. de Serv. Dei Beatif. lib.* 4. *part.* 1. *c.* 29. *n.* 5.

quibuslibet hujuſcemodi hiſtoriis fidem praeſtent: alii nihilum prorſus; ac propterea utroſque hinc graviter errare, in proclivi eſt, ſin mediocritas attendatur. Hoc ipſum ſentit Doctiſſimus P. Le Brun (*a*), cum ſic merito effatur. *On peut diviſer la plupart des Hommes en deux claſſes. Les uns ſont portez à croire ſans preuve tout ce qu'on leur dit d'extraordinaire; les autres s'obſtinent à le rejetter malgré tous les témoignages qu'on leur apporte. Une crédulité puérile & une opiniâtreté ſuperbe: Voilà les deux ſources des erreurs des Hommes, par rapport à l'exiſtance des effets ſurprenans, & voilà auſſi les deux écueils, que nous devons éviter, pour parvenir au diſcernement que nous cherchons*. Ad haec autem nullum melius inveniri praeſidium valet, ut tutius inde judicium repetatur; quam ſi Naturam ipſam, ejuſdemque potentiam & actiones examuſſim intelligamus; indeque pateat, quantum & in ſtatu ſano, & in ſtatu morboſo (cum de Hominis viciſſitudinibus agendum eſt) Animalis ejuſdem Oeconomia poſſit, atque quam multiplici ratione Natura ipſa quandoque ludere conſueſcat. Aliunde enim veritatem aſſequi nemini unquam concedetur; innumeriſque ſecus erroribus ſemper ſupererit locus. Quare eruditiſſimi Gaſpari

a Rejes

(a) *P. Le Brun Tom.* 1. *Hiſt. Crit. de Pratiq. Superſt. c.* 3.

a Rejes (*a*) dictum hic fas erit referre. *Ludit certe non raro in Homine Natura, & vix credibilia in ipſo oſtentat. Sed arrepta inde occaſione fabularum inventores nos mendaciis illudunt, & cum omnia poſſibilia eſſe volunt, ut credamus, de caeteris faciunt ut dubitemus. Nil quippe tam arduum & impoſſibile commenta eſt antiquitas, vel ipſis Cacodaemonum ludibriis decepta, quod adhuc hodierni iſti Naturae indagatores, ut nos in ſtuporem rapiant, ſuadere non conentur.*

Neque vero ſolum, uti innuimus, Daemonem Corpora humana indiſcriminatim obſidere, atque in iiſdem agere varia ratione poſſe, credendum omni jure eſt, ſed etiam (ſi plurimis Auctoribus fides adhibenda ſit) feminas praeſertim huic infortunio obnoxias eſſe. Ita prae caeteris ſentire videtur Caſpar Peucerus (*b*), dum, agens de Pſeudo-Prophetis Daemoniacis, feminas maxime ad hoc ſeligere Diabolum, ſtatuit, ideoque ſic ait. *Suos ſibi, Dei exemplo, delegit Prophetas, & potiſſimum ex Muliebri genere, quod ſexus iſte imbecillior eſt natura, ſimpliciorque, & minus vel cavere inſidias, vel intelligere aſtuta conſilia, vel reniti impulſui, vel commiſſa celare poteſt, quodque ad promovendos & perſuadendos alios accomodatiora, pluraque adjumenta habent.* Verum cum de Virginum

(a) *Gaſp. a Rejes Elyſ. Jucund. quaeſt. Camp. quaeſt. 36. n.* 44.
(b) *Caſpar Peucerus Comment. de praecip. Divinat. gener.*

ginum morbis, ab hyſterico principio quomodocunque derivatis, agitur, etſi complicati maxime, miriſque ſymptomatibus ſtipati ſint; difficile admodum de Maleficio cogitandi prudentioribus Medicis locus ſupereſt: Sicuti & perquam raro earumdem ab hoc morbo liberationes inter miracula recenſeri poſſe, aperte docet praecitatus Summus Pontifex noſter (*a*); unde, quoties, in hujuſcemodi circumſtantiis, miraculoſam ſanationem probare quiſpiam, *licet infelici auſu*, contenderet; totus in eo eſſet, ut congruis rationibus oſtenderet, eas morborum viciſſitudines ab Hyſteriſmo neutiquam fore excitatas. Quamobrem Hippocrates etiam, licet, uti ſupra innuimus, divinum quidpiam illud in morbis latitare ſaepe poſſe oſtenderit: in feminis tamen cautius de hoc judicandum eſſe, commonuit; ſicuti ſpeciatim animadvertit Licetus, haec in propoſitum noſtrum proferens. *Alterum vero teſtimonium Hippocratis eſt, (b) quo peragens alibi de morbis virginum Mulierum, quas oſtendit eſſe a menſtrui ſanguinis retenti malo motu, proindeque a cauſſa phyſica, reprehendit Ethnicos ſacrificulos, deceptores feminarum, dum eas ab inſania matricali, terroribuſque uterinis convaleſcentes, jubent pretioſiſſima donaria Dianae conſecrare.* Subinde ex Hippocrate

(a) *Lambertin. de Serv. Dei Beatif. lib.* 4. *Part.* 1. *c.* 13. *n.* 14.
(b) *Fortun. Licet. de Tertio-quaeſit. per Epiſt. c.* 15.

crate ipſo haec ultro ſubdit. *At Virgines, quibus prope nuptiarum tempus inſtat, ut Viro conjungantur, illud ſub menſium deſcenſum magis experiuntur; cum antea his malis non admodum conflictarentur..... Quae cum ita ſe habeant, ob acutam quidem inflammationem inſanit, ob putredinem clamat, ob caliginem terretur & timet, ob oppreſſionem vero, quae circa Cor eſt, ſuffocationem ſibi parant, ob ſanguinis autem vitium animus anxietudine & impotentia conflictatur, & malum contrahit: quin etiam alium horrendum in modum appellat, & in puteos deſilire ac praecipitare, ſeſeque ſtrangulare jubent, velut haec praeſtantiora ſint, omnemque utilitatem excedant. Interdum vero citra ſpectra voluptas quaedam mortis, tanquam boni cujuſdam, expetendae inceſſit &c.* Quae ſane omnia mirum in modum ad rem noſtram conferre, patet. Hoc itaque praehabito Hippocratis oraculo, neutiquam inficiabor (cum aliunde, ex relatis, enarrati hujuſce morbi principium repetere minime liceat) quod vere Amaſius potiſſima tunc & prima tot aerumnarum cauſſa fuerit: non ideo tamen, quod Malum illud medicum, pro maleficio devorandum, infelici huic Juveni obtulerit; ſed quod ipſi maximos furentis, ut ita dicam, amoris tumultus excitaverit, qui viciſſim in dies magis magiſque invaleſcentes, eo vehementiores utrinque fierent, eamque praecipue ſupra modum exagitarent. Revera enim eo inter ipſos

devenerat mutui amoris incendium, ut ſponſalia quamproxime ineunda forent: quibus inopinato obſtitit Amaſii ſubſecuta paullo poſtea mors, quam aegre adeo tulit affecta Juvenis, quod haud amplius bene ſe habere poſthac viſa ſit; uti teſtatur Reverendus Parochus ille, ſub cujus Paroecia tunc ipſa degebat. Haud adeo itaque facile ſibi quiſpiam perſuaſerit, ſin Helleboro vere indigeat, quod Amaſius dilectae Juveni, cujus amore flagrabat maxime, Malum illud medicum, ceu pro Maleficio, propinaverit, ac ſi illam ipſam tot malis, & diutiſſime vexatam iri contenderet, quam ſibi ſponſam nuper elegerat. Caeteroquin, quod a fruſtratis inopinato nuptiis inter eos, quos vehemens amor viciſſim exuſſerat, complicatae ac multifariam mirae aegritudines, cum laeſione praeſertim phantaſiae, progenitae ſint, atque, inordinate procedendo, diuturno perduraverint tempore; plurimae apud Medicos Hiſtoriae, huic noſtrae parum abſimiles, extant; quas eruditis Medicis notas ſatis eſſe puto.

Amantem ſi quis mente credit praeditum,
Ubi ille rerum inveniet, quaeſo, amentiam?

Jure ſic inſtat Menander, adnotante Stobaeo (*a*). Porro, hiſce praegreſſis, Juvenis noſtra animo potiſſimum pluribuſque modis, inde vexari ſaepiſſime viſa

(a) *Jo: Stobaei Florileg. Tit.* 44.

viſa eſt; mox in ſe ipſam, alioſve, ut haud raro evenit, immaniter & iracunda, & furioſa evadens; praeter alia quaeque, in hiſtoria enarrata, quae mox explicabimus.

Si itaque, ob perturbatam ſummopere phantaſiam, mente adeo ſubmoveri hujuſcemodi Mulieres haud raro comperiuntur, ut ipſis divinatoriam uſque facultatem admirabilem, cum Platone, concedere Peucerus (*a*) non recuſet, ex *amatorio* ſcilicet, ut ipſe ait, *furore*: parem ſane ob cauſſam, Juvenem hanc inſanam adeo d inceps evaſiſſe, nos quoque aſſerere recte poſſe, autumamus; ita quod incongruas res illas omnes manu propria ſibi ori admoverit, ac ſubinde ingurgitaverit, licet eas nihil antea prorſus appetiiſſet. Eapropter illud praeſertim adnotatu dignum mihi viſum eſt, quod illi evenit in Eccleſia Divi Abundii, tunc nempe, cum, rationis lumine orbata, ejuſque poſtmodum compos evadens, ſaxum illud ſtatim abjecit, quod, admota ori manu, ſe ſe jam proxime ingurgitaturam, ex ſe intellexerat. Utque paucis dicam, ipſam ſpeciali melancholia ex Utero frequenter ac multis modis laboraſſe, atque identidem detineri adhuc, certo certius aſſerere, nullus dubito, quod inde maniaca poſtea evaſerit. Simili fere morbo, ex di-

(*a*) *Caſpar Peucerus Comment. de praecip. divin. gener.*

vino decreto, prehenſum fuiſſe Regem Nabuchodonoſor, interpretatur Theodoretus; quando (*a*) *ab Hominibus expulſus eſt, & foenum, inquit, ut Bos comedit*. Etenim, ibidem ſubdit Commentator, *proprium eſt deſipientium non ſolum dicere ac facere ea, quae ratione & ordine careant, ſed omnia etiam, in quaecunque inciderint, comedere*. Licet autem doctiſſimus Interpres illud ipſum & Daemoniacis evenire poſſe ibidem concedat; naturalem tamen potius adducere cauſſam ſatius duxit; perinde ac ſi ab hac ſaepius, quam ab illa effectus hoſce pendere ſentiret; ideoque abs re ipſi viſum eſt incaſſum a Superis tunc rationem mutuari. Praeſtantiſſimi hujuſce Auctoris ſententiae arridet etiam celeberrimus Calmet, (*b*) ſpeciali ad id conſcripta diſſertatione, ubi haec profert. *Recepta communi ſuffragio, & maxime probata ſententia docet, Nabuchodonoſorem, Dei vindicis manu percuſſum, in phreneſim incidiſſe, in eam nempe morbi ſpeciem, quam Lycanthropiam appellant.... Ille quippe Rex, Bovem ſe eſſe perſuaſus, coepit, curvato dorſo, manibus pedibuſque reptare, herbas carpere, veluti cornu petere, in agro vagari, coetus Hominum fugere, comam ungueſque ferino more negligere*. Quae omnia *ſine faſcinatione, ſine inducta metamorphoſi, ſive me-*

tem-

(a) *Theodoret. in Danielem cap.* 4. *n.* 30.
(b) *Comment. in Sacr. Scrip. Tom.* 6.

tempſychoſi, ſola vi morbi exponenda ſuſcepit.

Verumtamen haud quidquam obeſt, quod, etiamſi vere maniaca eo modo evaſiſſet Juvenis noſtra, ſui tamen utplurimum compos omnino redderetur; ideoque illa omnia incongrua ſe paullo antea peregiſſe, aegre poſtea ferret, quae inſaniendo ſe quomodocunque perpetraſſe, non tantum ab aliis audiret, verum etiam ex ſe ipſa deinceps cognoſceret. Enimvero ejuſcemodi aegritudines, quomodocunque ortae ſint, atque procedant, non niſi in vera totali dementia aeque ſemper vigent; in melancholia vero, aut mania ad tempus dumtaxat ſaeviunt; varia quidem ratione & norma, pro varietate morboſae dominantis cauſſae, internae externaeve, ac praecipue pro varietate conſtitutionis, in hiſce Aegrotis attendendae, quibus tale contigerit infortunium. Praeterea incongruarum idearum varietas, quae in Maniacorum mente animadvertitur, a praegreſſis etiam in ſanitatis ſtatu intenſioribus, iteratiſque maxime ſpecialibus cogitationibus exoritur; unde potiſſimum fit, quod maniaca haec affectio in omnibus variare deprehendatur, diverſaque proinde ſymptomata praeſeferat. Idcirco Fernelius (*a*) diſtinguit merito, quod Melancholicorum infinitae ſunt ſpecies: *qualis nimirum olim fuerit cujuſ-*

(a) *Fernelius de morb. Cereb. Pathol. lib. 5. cap. 2.*

que intenta cogitatio, aut qualis vitae conditio, talis ſeſe repraeſentat melancholica deliratio. Nam [*quod Ariſtoteles litteris prodidit*] *ut vinum potentium naturae & moribus, ita ſane melancholia laborantium conſtitutioni ſeſe accomodat*. Variat inſuper morboſi hujuſce affectus ratio pro varietate Regionum, & Anni temporum. Siquidem (*a*) *Auctores ſunt, qui affirmant, Gentes aliquas, certis temporum periodis, praeſagis furoribus, ceu morbis Epidemicis, corripi ſolitas eſſe. Et Mulieribus Peleponeſiis, Chiis, Boeottis, Maniacos affectus cum divinatrice praeſentione familiares fuiſſe, aliqui ſcribunt, tanquam morbos populares. Nota eſt Hiſtoria de furore percitis Filiabus Regis Argivorum*. A tumultuante praecipue ſpeciali humore, eoque diverſimode commoto, & dominante, Sennertus (*b*) oſtendit, quî fiat, ut Mulieres illae, quae melancholicae ſunt, hujuſcemodi phaenomenis plurifariam afficiantur, neque iis ſemper aeque laborent. Namque *ſymptomata haec non ſunt continua, ſed tamdiu durant, quamdiu vapor ille* (hunc ſupponit ab Utero eſſe derivatum) *qui proxima eſt cauſſa, adeſt: quo diſcuſſo, ſymptomata remittunt, & evaneſcunt, donec novi ad Caput eleventur: quod ex eo patet, quod, dum vapor ille quieſcit, ſatis hilares ſunt hujuſcemodi feminae, nec ulla melancholiae ſigna exhibent: mox,* com-

(a) *Caſpar Peucerus loco ſupracitato.*

(b) *Sennertus Pract. lib. 1. part. 2. cap. 13.*

commoto & agitato humore, & vaporibus ad Cor elevatis, ſubito moerore corripiuntur. Quamcunque itaque ex hiſce, aut ex aliis ejuſmodi cauſſis, ſimul in unum conſpiraſſe, ad rem noſtram, & quomodocunque egiſſe, pro ſua ſententia, imaginari ſibi quiſpiam velit; hinc facile intelliget hujuſce morbi alternationes quaslibet.

Neque praeterea crediderim, ab hyſterico fomite aegritudinis hujuſce, atque ſymptomatum quorumlibet, inde enatorum, originem, eatenus deducere aliquem nolle, quatenus Juvenis iſta menſtruo ſemper beneficio, & aliquando, pluſquam par erat, liberaliter frui conſueverit. Quamquam enim ego quoque, experientia ipſa teſte, ſimulque ex Hippocratis libris didicerim, Junioribus ſaepiſſime Feminis aerumnas haſce tunc evenire, quum menſtrua ſuppreſſa ſunt, aut ſatis, uti fas ſit, neutiquam fluunt: Nihilominus haud raro obſervavi, quod etiam, non feriantibus menſtruis, talia & pejora contingant, in ſalacioribus praecipue Puellis. In hiſce potiſſimum Lympha illa, quae hac ratione aphrodiſia vocitatur, energemate nimis quomodocunque pollet, nerveaſque Uteri, aut circa Uterum poſitas, partes plus aequo vellicat, irritat, titillatve, ſive mordet, atque proinde modo in ſpaſmodicas contractiones vehementer ac plurifariam cogit,

cogit, modo & in atoniam, ob ſubſequentem reſolutionem; cum utrinque Hyſtericarum affectionum viciſſitudines oboriri poſſe non immerito moneat doctiſſimus Brinius. (a) Hinc nerveae quaeque propagines aliae pari proportione patiuntur, aſt illae magis, quae cum Utero inſignius commercium habent, ſive diſpoſitae magis ſunt, ut a tumultuoſo & effraeni liquore illo ad oſcillandum improprie ſolicitentur; aut ex oppoſito, conſueto deperdito tono, ſubinde relaxentur, aut utroque modo alternatim afficiantur. Exinde ultro fit, quod Hyſterica paſſio (tametſi in hiſce Feminis a Nervorum perverſa utcunque ſymmetria ſemper producatur) quo ad ſymptomatum tamen comitatum, vehementiam, complicationem, atque vices, varia ſemper eſſe comperiatur: cum idem non ſit ſemper luxuriantis liquoris illius imperium, nec eadem agendi ratio, varietque demum univerſa Corporis aut particularis conſtitutio, ſeu mavis diſpoſitio, atque peculiares praeiverint externae cauſſae, diverſumve victus regimen, aut animi pathemata varia: quae omnia tam ſeorſim, quam ſimul ſumpta, ad hoc maxime & quomodolibet conferunt. Quid autem, quaeſo, obſtat, quod ſpeciali poſita Membranarum Cerebri (unde animalium qua-

(a) *Brinius de Spiritibus Animal. n.* 132.

quarumvis actionum inſtrumentalem, ut dicimus, cauſſam veriſimilius petendam eſſe, cum aliquibus aſſerere ſatius ducimus) ſtructura, in affecta Juvene noſtra, morboſas omnes, quas ſaepe atque ſpecialiter paſſa eſt, mentis affectiones, non continuas, ſed varias explicare non poſſimus, cum eam Hyſtericam fuiſſe ex hiſtoria deducamus, idque ſecluſa omni Maleficii ſuſpicione? Non immerito itaque doctiſſimus Hecquetus, (*a*) horum morborum cauſſas generales recenſens, eas diſtinguit, quae a rubra ſanguinis parte quam proxime, ac potiſſimum derivantur, ab aliis, quae in lymphaticis humoribus latitant; quippe quod in primo caſu menſtrua excretio ſuppreſſa omnino, aut magna ſaltem ex parte in Junioribus Feminis fuerit: in ſecundo vero ſecus. *Car elles conſiſtent dans le ſoulagement du genre nerveux qui eſt pénetré, non plus par une lymphe aërienne, la quelle comme un doux zephire, s'inſinuë inſenſiblement dans les fibres nerveuſes; mais par un ſuc lymphatique dégeneré, acre, ſalin, exploſif, qui tient tout le genre nerveux en tenſion, en ſpaſme, & en irritation.* Cum vero, ut in caſu noſtro, ob aphrodiſii illius ſucci vitiatam diatheſim, in allatis circumſtantiis, lympham ſubinde eo modo infectam fuiſſe, conſtet;

(a) *Le Naturalis des convulſions ſeconde part: pag.* 100. 101. *&c.*

ſtet; eo potior emergit ratio non ſolum convulſionum illarum, quibus initio Juvenis noſtra obnoxia fuit, verum etiam perverſae ſubinde phantaſiae, propter quod Maniaca facta eſt. Optime ſic paucis id appoſite explicat celebratiſſimus hic Auctor. (*a*) *Une autre ſorte de Vapeurs eſt remarquées par les Auteurs: Sçavoir, celles, qui ſont causées par quelques paſſions honteuſes, & celles la arrivent lorſque la partie blanche du ſang trop abondamment ſpermatisée, ſe met en rut, parce qu' elle prend plus d' elaſticité juſqu' à l' exploſion, & par là, comme par un éguillon, elle ſouleve le genre nerveux, & remue en conſequence dans l' imagination des idées & des mouvemens obſcénes, répondants, & conformes à la nature des parties d' où part cette humeur, & qui en ſont éguillonées: & ce ſont ces vapeurs qui font les affections èrotiques, comme les appellent les Auteurs, Affectus eroticus, Melancholia ab Utero amoroſa.* Dum hic autem Uterum nomino, ceu primam, ſeu, uti ajunt, occaſionalem praecipuam iſtorum effectuum cauſſam; id ſano modo intelligi velim: non perinde ac ſi aliae adjacentes Utero partes, vel cum ipſo utcunque commercium habentes, iis anſam praebere neutiquam valeant. Equidem, praeter ea, quae de hoc morbo, congruis ſolidioribus conjecturis innixa, apud Saniores Auctores extant, plurimi faciendam

eſſe

(a) *Le Natural. des Convulſions prem. part. pag.* 167. 168.

eſſe puto obſervationem ſpecialem, a Clar. Andrea Fromond nuperrime editam. (a) Iſte enim, poſteaquam in Piſana Academia, atque in Florentino Archinoſocomio, ſub Praeſtantiſſimis Etruſcis Profeſſoribus Medicis atque Philoſophis, Theoriae & Praxeos Medicae optimis fundamentis, acri, quo pollet, ingenio, ſeduloque ſtudio potitus eſſet; in Noſocomio majore Cremonenſi Praxeos curriculum mecum pluſquam per triennium adimplevit, indeque mihi ibidem Medicus ſuffectus eſt (uti & aliis Clar. Diſcipulis meis antehac evenerat), uſque dum Medici Primarii in Cremenſi Noſocomio munus nuper aſſecutus eſt. Tunc ideo cum Cremonae meas gnaviter adimplebat vices, exta ſimul Cadaverum, pro re nata, in abſtruſioribus Morbis ſaepe perluſtrando, convulſionariae cujuſdam feminae Cadaver diſsecans, eam non imperforatam ſolum, ſed & Utero carentem prorſus invenit; indeque jure meritoque ſtatuit, non ab Utero ſimpliciter, ſed etiam aliunde utplurimum Hyſtericarum affectionum originem eſſe repetendam: uti & ipſe paucis ibidem Sapienterque explicavit; unde in Animadverſione tertia ſic concludit. *Hinc, aut ego fallor, colligitur, non unam, eandemque eſſe Affectionis Hyſtericae ſcaturiginem, nec unum eundemque modum; quum, praeter labem liqui-*

dis

(a) *Imperforat. Mulieris Utero prorſus carentis Obſervat.*

dis perſaepe inhaerentem, Anatomici modo in Utero vitium detegant, modo in Gangliis, quemadmodum obſervavit Lanciſius, modo in Tubis, ſaepiſſime vero in Ovariis, quorum ſatis frequentes, variae admodum, atque enormes laeſiones occurrunt. Caeteroquin ut plerorumque, quas in Juvene noſtra evenerunt, ſymptomatum fontem aſſequamur, Uteri ſimul, atque adjacentium ipſi aliarum partium habendam eſſe rationem exiſtimavi; maxime quia, fluentibus menſibus, quo ad omnia melius ſe habebat, pejus vero iiſdem vix vix ceſſantibus: ut alia ſileam, quae aphrodiſii vehementiores motus, exinde profecti, in hiſce caſibus praeſtant, dum Oeconomiam animalem totam ſuſque deque vertunt, atque ratiocinium ipſum pluribus modis obumbrant, pervertunt, aut tollunt: uti mox dicemus. Eapropter ob enormem hanc potentiam, quam undequaque in Feminis iſtis exercere Uterus deprehenditur, haud immerito *Platoni animal concupiſcentiae princeps dicitur* (*a*), animadvertente Schurigio, *forſitan quod libidinem ſuam explendo animal generet. Animal autem dixiſſe videtur ad mentem Pythagorae, qui Uterum animal per ſe ipſum diſtinctum, ſuique plane juris nominaret. Hos ad verbum uſque ſecutus Aretaeus itidem definit Viſcus prope animatum, & veluti animal quoddam in animali: ſuo quippe motu agit, nec imperio regitur mentis.*

Hac

(a) *Schurig. Muliebr. Sec. 1. cap. 1. n. 19.*

Hac ratione ſuo imperio, ut ita dicam, agens Uterus, media aphrodiſia actuoſa lympha, nec juſſui mentis ſatis obtemperans, phantaſiam plurimis miriſque modis perturbabat, atque exagitabat, Meninges praeſertim afficiens, atque univerſum ſimul Corpus in nerveis quibuſcunque propaginibus extorquendo atque divexando; ita quod illinc mentis ratiocinium obrueretur pluriſariam, aliaeque partes, modo junctim, modo ſeorſim afficerentur. Quare ea omnia, quae ſubinde oriebantur, ſymptomata, licet inter ſe diſcrepantia maxime, ab eodem nihilominus principio emanabant: adeo ut illorum differentia laborantis identidem potius partis cujuſvis utcunque varietati, caeteris paribus, quam diverſae morboſae cauſſae, adſcribenda rationabiliter eſſet. Hoc enim cum Hippocratis oraculo optime conſentit, (*a*) ubi ſic docet. *Morborum autem omnium unus & idem modus eſt. Locus vero ipſe eorum differentiam facit. Quare videntur morbi quidem inter ſe nihil ſimile habere, propter diverſitatem ſcilicet locorum, cum ſit tamen una morborum omnium & ſpecies, & cauſſa quoque eadem.* Pro ut ideo hi potius, quam illi nervorum rami, ad peculiares partes profecti, aut varii Meningum lacertuli quomodocunque affecti erant; modo tumultuarii huc illucque excitari poterant aeſtus; modo

(a) *Hippocr. lib. de Flatib.*

modo & conſueti voluntarii feriabantur motus, eaque immota jacebat, licet ratiocinii ſuperiora organa ſuis muneribus fungerentur; modo hae ſecus magis, quam illae actiones pervertebantur; modo utraeque ſimul vitium ſubibant: unde viciſſitudines hujuſce morbi varias & mentis, & corporis, tam ſimplices, quam quomodolibet compoſitas, Rationalis quiſque Medicus, utrinque erui rite poſſe, neutiquam inficiabitur. Si enim de Corporis affectibus, quibus illa pluries laboravit, ſermo ſit; facile eſt intellectu, quomodo aphrodiſia illa lympha, ex mora ſucceſſive magis magiſque acris effecta, quandoque circa Urethrae anfractus reſidens, inanes ipſi ad mingendum ſtimulos excitaret, indeque, irritatis urinarii tubi intimis tunicis, urina etiam cum ardore non raro excerneretur. Contrahebantur inſuper aliquando etiam nervei caudices, ad ſuperiores alias partes protracti; ideoque Juvenis haec modo ſtrangulationis moleſtiam patiebatur; modo, reſolutis laryngis fibrillis, laxatoque ejus tubo, ipſius hiatus incongruus fiebat excipiendo recte, concutiendoque Aeri: quare voces non juxta conſuetum edebat, aphona proinde effecta. Nervei quoque Meſenterii plexus, ad Inteſtina ſpectantes, inordinatas aeque ſubibant inde contractiones, & reſolutiones; unde & Alvus ſtiptica

tica, & nimis ſoluta alternatim reddebatur. Contracto quippe nimis inteſtinali tubo, atque coarctato, periſtalticus cohibetur motus, aut retardatur admodum; tunc cum ſimul Aer, in Inteſtinis contentus, ac ſummopere preſſus, huc illucque per eorumdem cavum expatiari tumultuarie coactus, & undequaque impetum faciens, murmura, & rugitus, & flatus, ſeu ſupra, ſeu infra erumpentes, ut in caſu noſtro, ſuſcitare facile poteſt. Ex inteſtinalium vero nervorum reſolutione, tunc cum Inteſtinorum tubus relaxatus erat, uberiuſque per Peyerianas glandulas hoſtilis aphrodiſius humor ille effluebat, abſque alia manifeſta cauſſa, Alvus ſolvebatur. Muſculi quoque Abdominis par identidem vitium interdum ſubibant, eorumdem laxatis modo, modo contractis inordinate fibris, uti & Peritonaei etiam: quapropter univerſum Abdomen aut in enormem aſſurgebat tumorem, diu etiam perdurantem; aut derepente compreſſum reddebatur: idem & de aliis phaenomenis dicendo.

Dum autem haec, aliaque ejuſdem cenſus Phaenomena ab Hyſterico ſpeciali hoc principio deducimus, nempe ab exploſiva aphrodiſii illius liquoris vi, diverſa ratione, in partibus quibuſvis nerveis operante; hujuſce fortaſſis ideam facile erit, quoquo ſaltem modo, concipere, ſi analogia deſumatur ab

iis experimentis, quae apud Chymicos paſſim referuntur, cum de pulvere tonante, ejuſque variis effectibus agunt. Nec tantum Sal Petrae, cum Sale Tartari, & Sulphure commixtum, ad hoc idoneum eſſe Doctiſſimus adnotat Arbuthnot (*a*); ſed etiam ſpiritus acidos Nitri, cum deſtillatis Oleis varii generis, uti Cornu Cervi, Cranii humani, & humani quoque ſanguinis, eundem ſimul effectum praeſtare; ut caleſcant ſimul, & inflammentur, & crepitent cum impetu. Hoc etiam ex limatura ferri, cum ſulphure, & aqua communi copulata, pari pacto evenire docet. Alii etiam (*b*), ut Terraemotus, & ſulphurearum evaporationum quarumvis, aut a Terra, aut e Nubibus, cum crepitu & flamma emanantium, rationem aſſequantur; Olei vitrioli, cum aqua communi, & limatura ferri immixti, effectus jure meritoque attendunt. Hinc ſane non abs re erit conjicere, quod, in Hyſtericarum feminarum Corporibus (earum maxime, quae ſalaciores fuerint, tunc cum eroticis paſſionibus crebrius, ac vehementius urgentur, etiamſi menſtrua non deſint) ſi paria dominari principia utcunque ſupponantur, eaque identidem ſimul coeant; exploſivus ille ſpiri-

tus,

(a) *Eſſai des effets de l'Air ſur le Corps humain chap.* 8. *n.* 2.
(b) *Notizie letterarie Oltramontane Tom.* 2. *part.* 1. *anno* 1743.

tis, quem aphrodiſium diximus, progigni inde, ac pariformiter operari poſſit. Revera lymphatici humores, dum, pluſquam par eſt, in aliqua parte reſident, craſſeſcunt aeque, atque aceſcunt; quibus ſi tunc addas aqueas alias ſulphureaſque ſanguinis, aut lymphae moleculas, mixtum illud emerget, quod analogum praedictis effectum, in allatis circumſtantiis, facile praeſtabit. Quapropter iſtiuſmodi tunc feminae, quibus talia eveniunt, ob ſpeciales, quae ſubinde ab earumdem Corporibus emanant, evaporationes, male olentes, *hirquitillare* (a) dicuntur. Num autem uſus tunc Chalybis (quotieſcunque chloroſis inde eveniat, & ſtaſes quomodolibet fiant, ut ſaepe evenit) nocere potius, quam prodeſſe valeat; quiſque ex enarratis ſupra Chymicis experimentis facile intelliget: idque dictum arrepta occaſione hic velim, ut illorum erroneas opiniones evertam, qui in quocunque Hyſterico morbo (ſive ab alba, ſive a rubra ſanguinis parte ortum ducat) iiſdem uti remediis, & eadem methodo conſueſcunt. Aſt de hiſce alias fuſius agemus, ſi Deus faveat, in peculiari tractatu de morbis Virginum, ac praecipue Sancti-Monialium.

Quod autem ſpectat ad miras variaſque mentis alienationes, ſeu mavis perturbationes, quas Juvenis noſtra identidem paſſa eſt, propter quod & co-

(a) *Garmann. de Mirac. Mort. lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 45.

gitando & operando, a ratione aberrare conſuevit; anteaquam ex dictis genuinum earumdem principium & modum inveſtigare contendam; aliqua, pro modulo meo, praemittenda eſſe reor, circa generalem Animi actionum ideam, atque eſſentiam, unde & ſpeciales ad rem noſtram rationes eruere in proclivi erit. Praenotandum itaque in primis eſt, morboſas haſce mentis affectiones, quaecunque illae ſint, aut quomodocunque contingant (quas & connaturales, ut ita dicam, alicui quandoque evadere credimus, cum demens penitus ille ſit ab ortu ipſo) Animi ipſius vitio adſcribi nullo modo poſſe. Siquidem non tantum ex ſacris oraculis, verum etiam ex Cicerone habemus (*a*), quod *humanus Animus, decerptus ex mente divina, cum alio nullo, niſi cum ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt. Hic igitur, ſi eſt excultus, & ſi ejus acies ita curata eſt, ut ne caecetur erroribus, fit perfecta mens, ideſt abſoluta ratio: quae eſt idem quod virtus.* Idque de quorumcunque Hominum Animis aeque verum abſolute eſſe, nemo inficias unquam iverit: ad differentiam nempe Belluarum, quibus natura (*b*) dumtaxat *ſenſum & motum dedit, & cum quodam appetitu acceſſum ad res ſalutares, a peſtiferis receſſum.* Verum & iſta Homi-

nis

(a) *Cicero lib.* 5. *Tuſcul. quaeſt.*

(b) *Cicero lib.* 2. *de Natur. Deor.*

nis propria ſunt. Quare (*a*) *eſt animus in partes diſtributus duas: quarum altera rationis eſt particeps, altera expers. Cum igitur praecipitur, ut nobiſmet ipſis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coerceat temeritatem. Eſt enim in animis omnium fere natura molle quiddam, demiſſum, enervatum quodamodo & languidum. Si nihil eſſet aliud: nihil eſſet Homine deformius. Sed praeſto eſt Domina omnium & Regina ratio. Haec, ut imperet illi parti animi, quae obedire debet, id videndum eſt Viro. Quonam modo? inquies. Velut ſervo Dominus, velut Imperator militi, velut Parens filio*. Attamen, ut ratio eo modo imperet, ſive mavis ut *animi acies ita curata ſit, ut ne caecetur erroribus*, potiſſimum praeter caetera, *magni refert* (*b*) *quali in corpore animi locati ſint. Multa enim e corpore exiſtunt, quae acuant mentem: multa, quae obtundant*. Ideo alibi Cicero docuit, quod quidem (*c*) *Corpus animi gubernaculo, animus autem miniſterio Corporis indiget. At neque animus aeger bene gubernabit, neque affectum Corpus animi recte parebit imperio*; quod utrumque circa rem noſtram verum comperiri, obſervatio ſimul atque ratio ſuadent. Neminem quippe ex ſanioribus Philoſophis latere, conſtat, quod, ſin organa illa Corporis, quae propria ſpeciatim Ani-

 mae

a) *Cicero Tuſcul. Quaeſt. lib.* 2.

b) *Idem Tuſcul. quaeſt. lib.* 1.

c) *Idem Conſolat.*

mae inſtrumenta ſunt, ad animales obeundas actiones, rite conſtituta atque diſpoſita fuerint; reliquum eſt, quod ipſa ſuis muneribus male fungatur, aut ad ea quomodolibet impotens evadat. Ad haec inſuper humores quoque, praeter ſolida, vel plurimum conferunt: ita quod omni jure Hippocrates ſentiat (*a*), *inter omnia, quae in Corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre quam ſanguinem. Hic ergo, cum in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit & prudentia: ſanguine vero permutato, concidit ſimul & prudentia..... ſiquidem igitur penitus totus conturbatus eſt ſanguis, penitus & prudentia proſternitur*. Quod ſi Recentiorum Phyſiologicorum ratiociniis, uti par eſſe videtur, inhaerere velimus, non *totus ſanguis* quod *conturbatus penitus* ſit, neceſſe eſt, ut *penitus & prudentia proſternatur*: imo ſatis ſuperque eſt, quod ſolius lymphae diatheſis, ex aphrodiſio, ut ita dicam, viru, in hypotheſi noſtra, perverti potuerit: uti infra fuſius explicabimus. Neque inſuper aphrodiſium virus illud, Lymphae copioſum vehiculum expetit, ut univerſam poſtmodum inficiat ejuſdem maſſam, atque totum proinde nervoſum genus pervertat: ſed pauxilla ejus pars ſufficit, quae in internis, aut externis pudendorum Muliebrium latibulis reſtitans, indeque corrupta, ac virulenta facta, in aream poſtea circula-

tionis,

(a) *Hippocrat. lib. de flatib.*

tionis, ut dicimus, intruſa fuerit, lymphaticoſque latices alios contaminaverit: id quod ſatis eſt, ut enarratorum ſupra hyſtericorum accidentium, atque mentis perturbationum quarumvis, de quibus nunc agimus, rationem aſſequamur. Nonne modicus Tabaci combuſti fumus, cum halitu intropulſus, in delicatioribus Feminis, & Viris etiam, huic neutiquam aſſuetis, Ebrietatem ipſis veluti maximam aſciſcit ad aliquod tempus? Ut alia omittam circa vim odorum, circa remedia ipſa, & Venena plurima, quorum exiliſſimam doſim, Oeconomiam animalem inopinato ſedare, aut pervertere poſſe, quotidiana docet obſervatio. Eſt enim (*a*) *illa humorum noſtrorum, vel dum athletice valemus, indoles, ut a minimis, iiſque pauciſſimis ſaepe corpuſculis in venas infuſis, adeo mirifice mutetur tota natura noſtra, ut & omnes Corporis actiones prorſus aliae evadant, atque ipſum ſingulare ingenium cujuſque humoris penitus a priſtina ſua natura alienum fiat.* Ad haec autem omnia ſedulo animadvertiſſe Celeberrimum Duretum, patet, (*b*) ubi ſic innuit. *Illud ſane monſtri ſimile eſt, Hominem, ad imaginem Omnipotentis factum, in belluarum naturam degenerare, ut fiat pene rationis expers, in ſolitudinem ſe conferat, omnia tuta timeat, omnibuſque moleſtus ſit, ac ſibi ipſi mortem aſciſcat: haec vero omnia*

(a) *Boerhaav. de Lue Aphrodiſ.*

(b) *Duretus in Enarrat. Hollerii de Melancholia.*

melancholia efficit (uti & Juveni noſtrae eveniſſe narravimus) *non quia in ea animus immutetur, aut corrumpatur; eſt enim ille unus & ſimplex, ſuique ſemper ſimilis, & immortalis; ſed quia in vitio ſunt pori & meatus, per quos animus ſe corpori inſinuat, & loca in quae appellit, & ſpiritus quibus miſcetur. Ut enim haec bene, vel male affecta ſunt; ita Homines ſapiunt, aut deſipiunt: quoniam animus corpori implicitus, per ejus inſtrumenta ſuum facit officium*. Si ea itaque omnia ſpecialia organa Corporis, quae ad internos, vel externos ſenſus, vel ad utroſque conferunt, ſive ſeorſim, ſive junctim attendamus; ſimulque pro re nata univerſi Corporis conſtitutionis, aut alterationis, ab extra, vel ab intra ipſi advenientis, ratio opportune habeatur; facile hinc erit intelligere cur Animi, etſi natura ſua aeque in omnibus perfecti ſint, aliquando diverſimode actiones ſuas edere comperiantur, pro diverſa nempe diſpoſitione illorum eorumdem organorum, quibus ad illas uti neceſſario debent. Quapropter non tantum externae ſenſationes inde perverti plurifariam poſſunt, ſed etiam & judicium, & diſcurſus, & memoria, & voluntas ipſa peſſum ibit; ita quod, pro diverſa laeſione partium, modo externi ſenſus tantum, modo interni, modo utrique alternatim, aut ſimul ſemper omnes perturbentur. Idcirco, cum, praeter organorum temperiem, voluntate

luntate etiam ipſa duce, vario modo ſe gerere, quo ad intellectuales actiones, Animus deprehendatur; reſpectu ad Corpus, quod informat, modo in templo, modo in tabernaculo, modo in ſepulcro, modo in carcere habitare dicitur. Etenim (*a*) *quorum animus eſt undequaque purus, in templo habitat: Qui non tenentur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo, libenter exſiliturus, ſi vocet Imperator. Qui prorſus excaecati ſunt vitiis ſpurciſſimis, ut nunquam adſpirent ad auram libertatis evangelicae, horum animus jacet in ſepulcro. Caeterum, qui moleſte luctantur cum vitiis, nec adhuc poſſunt, quod volunt, horum animus habitat in carcere, ſubinde clamans ad liberatorem omnium.* Utcunque autem in propoſitum noſtrum perverti poſſe Animi actiones, perverſo corpore, velimus ſupponere; ſemper cum eodem Eraſmo ibidem fas erit dictu, quod tunc *Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipſa ex morbo, aut alia quavis cauſſa, ſed, organis vitiatis, impeditur illius vis, & actio: velut artifex fruſtra valet arte, ſi deſtituatur idoneis inſtrumentis.*

Verum quia, prae caeteris, nervi quilibet, eorumque principium, Cerebrum nempe, & Meninges, atque externorum ſenſuum organa quaeque, praecipua ſunt animalium quarumcunque actionum inſtrumenta, quibus anima ſemper ad agendum pluri-

mis

(a) *Eraſmus Titulo Puerpera.*

mis modis utitur; videndum nunc eſt, quaenam praeſertim ex hiſce ad hoc faciant, atque potiſſimum in affecta Juvene noſtra fuerint tunc laeſa, & quo modo: adeo ut inde mira ea laeſae mentis phaenomena, quae in hiſtoria exarantur, a Phyſicis dumtaxat cauſſis, ut diximus, derivari queant. Ad haec autem, ut congrua methodo, atque norma, deveniam, eaque, pro modulo meo, funditus explicem: animales functiones haſce, de quibus hic quaeſtio eſt, ad binas reduco claſſes: cum ſcilicet aliae ſint, quae non homini tantum, (etſi ipſi eminentius) aſt etiam Brutis competunt: aliae, quae Homini ſoli utique conveniunt; utrarumque enim ſcrutamen propoſitae quaeſtioni evolvendae confert. Ad primam claſſem pertinent motus & organici, & voluntarii omnes, ſicuti & nutritio, & augmentatio; quibus addimus appetitus ſimplices quoslibet; unde amor, odium, ira, aliaeque paſſiones, abſque ullo nempe ratiocinio, prodeunt; quippe quae ſolam imaginationem, ſeu idearum ſpecialium perceptionem, neceſſitate quadam, conſequuntur. Secunda vero claſſis ſanum ratiocinium, ex idearum perceptarum voluntaria combinatione, ſeu collatione, congruo criterio facta, reſultans, comprehendit: quod exinde, pro nutu hominis, alias animales actiones regere & moderari conſueſcit. Primae claſſis actiones, quae Brutis quoque

que conveniunt, num ab anima vere dependeant, an ſecus materiae dumtaxat modificationes ſpeciales ſint, nondum ſatis a Philoſophis explicatum eſt: tametſi varia varii circa hoc ſentiant; cum alii Brutis Animam ſaltem ſenſitivam, Humana longe imperfectiorem & mortalem, concedant; alii eam, ceu quid Chymaericum, negent penitus. Quapropter iſti eam Corporis materiam (ſive fluida, ſive ſolida, ſive utraque ſimul, quod veriſimilius eſt, attendantur) ex qua animalium illarum actionum organa in Brutis conflantur, a Deo ita diſpoſitam eſſe cenſent, quod ex ſe ſola, abſque ullo Animae illius ſuppoſitae adminiculo, ad eaſdem ſufficiat. *Eſt ne enim quid proclivius dictu* (cum ipſis innuit Clariſſimus Brinius) (*a*) *atque intellectu facilius, & ab omni etiam ſuſpicione contradictionis remotum, quam materiem ad eam perfectionis gradum evehi, certaque ratione, lege, & menſura temperari poſſe, ut, cum concedendum ſit, certos poſſe effectus motibus ſuis communicari, quos ideis nullis, nullaque ratione ſuadere nobis poſſemus motui poſſe alligari, concedendum propterea ſit, ipſam perceptionis vi praeditam eſſe*; *hoc eſt certa lege & ſtructura eſſe conformatam, quae doloris ſenſum, metus, gaudii, voluptatis, ſonorum, colorum, caeterorumque, quae ab corporum impreſſionibus deri-*

(a) *Brinius de Spirit. Animal. inquiſit. n.* 100.

lerivantur, exprimat? Etenim (*a*) (haud immerito idem Clariſs. Auctor ſubdit) *ut vivere, loco moveri, augeſcere &c. motus materiae ſunt temperatae, ut vigeat; ita eſurire, odiſſe, iraſci, imaginari, percipere &c. erunt materiae modi, natura excellentius temperatae, ut ſentiat.* Nec tantum in Brutis, ſed etiam in Hominibus actiones ejuſcemodi, quae utriſque communes ſunt, ab ipſa materia, rite ad hoc modificata, pendere poſſe, abſurdum neutiquam eſſe ita ibidem docet. *Quae eſt in materia perceptio, haec ex ſola pendet conformatione, partiumque poſitione, quae tam in Homine, quam in Animalibus brutis poteſt deleri. Sentiunt igitur, & imaginantur eodem modo. Quia tametſi neque libere agat, neque volens ſit, neque inſectilis materia, ut eſt ſpiritus, qui extenſione caret, non inde ſequitur tamen, materiae nullam eſſe aliam affectionem; nempe ita componi non poſſe, ut ſentiat, quemadmodum ſpiritalis ſubſtantia conjungi non ita poteſt, ut fiat extenſa.* Quidquid vero ſit de hac controverſia, quam ex profeſſo dirimere nec audeo, nec inſtituti hujuſce mei ratio poſtulat (maxime cum utrinque plurimae emergant rationes, haud parvi ſane faciendae); hoc unum ſaltem pro certo habendum eſſe reor, quod tam in Homine, quam in Animalibus brutis, congrua a Deo, eaque ſpecialia conſtructa fuerunt organa, quae hujuſcemodi actionum exercitio conferre

com-

(a) *Brinius ibidem n.* 108.

communiter creduntur; ſicuti & ad alias ſecundae claſſis, quae in ſolo Homine ſublimius exercentur, imo ab Anima ipſa Rationali unice procedunt, quae iis organis, ceu aptis inſtrumentis, ad ea peragenda, utitur.

Operae itaque pretium erit ſtatuere, aut ſaltem inquirere, quaenam potiſſimum ſint organa illa, quaenam adminicula, & modi, quibus recenſitae animales actiones, tam primae, quam ſecundae claſſis, in Homine perficiantur in ſtatu ſano; ut inde veriſimilius pateat, qua ratione alterari queant, occaſione morborum: Quod utique requiritur, ut Mentis morboſas affectiones illas, quae in Juvene noſtra obſervatae ſunt, perſcrutari valeamus, earumdemque proinde naturalem cauſſam detegere, juxta aſſumptum noſtrum.

Illi, qui ſpirituum animalium fautores ſunt, ſenſuum quorumvis tum externorum, tum internorum, atque una motus exercitium, a ſpirituum peculiaribus undulationibus, in Nervis, atque ab eorundem ſpeciali influxu in partes explicare ſatagunt; ipſam idcirco Cerebri ſubſtantiam, tanquam pro Animae Emporio, habendam eſſe putantes; adeo ut ibidem actiones illae omnes utcunque perficiantur. Mihi vero, cum praeter caeteras rationes (quae ab eodem Brinio, atque ab aliis Clariſſimis Auctoribus, contra

Spi-

Spirituum Animalium commentitium ſuppoſitum, afferuntur) illud maxime animadvertendum ad hoc ſedulo eſſe, putem, quod ſubſtantia Cerebri penitus ſenſu careat, ideoque ſenſationum primus fons illa eſſe nequaquam poſſit; Meninges potius (cum exquiſitiſſimo aliunde ditatae ſint ſenſu) ad hoc conferre, veriſimilius videtur opinari, ſin minus aſſerere: idem & de tunicis Nervorum quorumcunque, quae Meningum productiones extra Cranium ſunt, intelligendo. Iſtarum enim Membranarum (a) *undoſa ſeu elaſtica ſtructura, diverſis ab objectis affecta preſſionibus, & modis, temporibus variis, repetitiſque vicibus agitata, ad has, ut vocant, ſenſibilium rerum notiones intelligendas, & criteria percipienda ſatis erit. Non ſecus enim atque ventum aëris unda excitat, undam unda, ſic objecti alicujus praeſentia, quae idea appellari debet, huic affinem procreat aliam, & haec rurſus aliam, atque aliam rurſus, pro rerum mutua, & naturali connexione, atque lege, quae in cauſſa eſt ejus, quae reminiſcentia, memoria, & intellectio dicitur. Objectorum igitur ipſa praeſentia, in durae Matris initium, per varias nervorum contractiones propagata, quo loci cogitationum, & facultatum caeterarum ſedem figere, tanquam contractionum nervorum omnium centrum, mechanica ratio ſuadet, perceptio eſt, idea ſcilicet; conſecutio porro idearum illationem parit, & idearum unio, ratio-*

(a) *Brinius de Spirit. Anim. inquiſ. n. 99.*

ratiocinatio dicenda eſt. Quis autem ſit is loci, ubi ea ratione ſenſationes quaeque, in Meningibus quod perficiantur, putandum ſit, nemo unquam certo ſtatuet: etſi Brinius ipſe nihil dubitet aſſerere (*a*), quod nullus alius certe eſſe poſſit locus iſte, *quam anticus ipſe durae Matris falcatus proceſſus, probabiliter ab eo puncto initium ſumens, quo maxime infigitur in interiora capitis, in Oſſis ſcilicet cuneiformis proceſſibus, & criſta Galli praeſertim, indeque progrediens per totam falcem, uſque ad poſticum proceſſum, ubi divaricatus, a Cerebro Cerebellum diſtinguit*. Utcunque tamen hoc ſit, ex dictis ſatis eſt deducere, quod Meninges elaſticitate admodum polleant, atque ab earumdem ſpecialibus oſcillationibus, ſive ab extra, ſive ab intra excitatis, ſenſationum quarumlibet eſſentia, & motuum quoque, ratio repeti non immerito poſſit. In dura Matre praecipue oſcillatorium ſemper vigere motum, primus prae caeteris, congruis experimentis, ſolidiſſimiſque rationibus demonſtravit Doctiſſimus Pacchionus, cui debita encomia, ſibi temere a Litteratis aſciſcere Baglivius primum auſus eſt. Sive tamen ejuſcemodi durae Matris motus, (*b*) aſſerente Ridleyo, ab Arteriis, per Cerebrum diſperſis, ſive a muſcularibus lacertulis in ipſa exiſtentibus, uti

(a) *Brinius ibidem n.* 119.

(b) *Vid. Raccolta d'Opuſcoli Scientifici &c. Tom.* 3.

uti ſentit Pacchionus ipſe, ſive & utrinque (ſicuti veriſimillimum cenſetur eſſe), quomodocunque pendeat; illud ſane veriſſimum eſt, quod motus ille revera obſervatur, atque inſervire creditur, aliis quibuslibet in univerſo Corpore excitandis motibus, ſeu undequaque protrahendis extra Cranium, corticum nervorum ope, oſcillationibus ſuis; & vice verſa. Quamquam ea aliter explicet Pacchionus, dicendo nempe, quod, ob muſcularem illum durae Matris motum, ſive mavis compreſſionem, reſpectu ad ſuppoſitam Cerebri ſubſtantiam, tanquam per torcularis vim quamdam, *vires & ſpiritus in nervos protrudi, aliique humores per ſibi apparatos canales propelli queant.*

Quomodo autem oſcillatorii iſti Meningum motus animalibus quibuslibet obeundis actionibus inſerviant, etſi nemo adamuſſim & abſolute decernere unquam auſus ſit: mihi nihilominus ita conjicere non abs re prorſus eſſe videtur. Puto enim earum perennes oſcillationes, quae indeſinenter fiunt, motibus quibuſcunque involuntariis, quos organicos nominant, conducere: qui proinde ea ratione excitentur, qua membranae illae quomodolibet oſcillent; vario ſcilicet modo, pro earumdem, univerſique Corporis peculiari diſpoſitione. Neque inficias unquam iverim, praeter indeſinentes illarum membra-

narum

narum oſcillationes; alias quandoque itidem evenire in ipſis; modo juxta imperantis Animae nutus; modo juxta motiones, in externorum ſenſuum organis, ab objectis, extrinſecus afficientibus Corpus, excitatas; quae ſubinde uſque ad Meninges ſurſum producantur, imo in ipſis aequa ratione perficiantur, & deſinant. Prioris ſpeciei oſcillationes haſce Anima ipſa in Meningibus, pro lubito, moderatur; ut actus intellectuales quoslibet, ſeu internos ſenſus exerceat, itidemque voluntarios quoſcunque motus, ubicunque, aut quomodolibet ipſa velit, in muſcularibus organis excitet. Alterius vero illius ſpeciei oſcillationes, ſenſuum quorumvis externorum exercitio favere poſſunt, ipſa quoque anima ad hoc aliquo modo conferente; ita tamen ut in hiſce paſſive, ut ita dicam, ſe habeat, in illis autem active. Utraeque tamen voluntariae Meningum oſcillationes iſtae, quae ad tempus, non aſſidue fiunt; mira quadam harmonia, quod ex antedictis involuntariis componantur, neceſſe eſt; cum hae indeſinenter, ut innuimus, utcunque contingant, idque ſemper, uſque dum Homo vivit. Eapropter aſſerere nihil vereor, quod & voluntariarum ejuſcemodi oſcillationum, ſicuti & aliarum, quae ex ſola partium mechanica lege fiant, regimen (praeter Animae imperium, ad ipſas quomodolibet praeſtans)

ab earumdem membranarum peculiari diſpoſitione dependeat; quod de involuntariis potiore jure verum comperiri, ſemper conſtat. Hoc autem verum utique eſt; ſive diſpoſitio illa primigeniam univerſi Corporis temperiem, ſive occurrentes alias ipſius morboſas affectiones, ab extrinſeco etiam provenientes, conſequatur; ſive utrinque, quod veriſimilius eſſe paſſim animadvertimus, illud derivare quiſpiam amet. Verum ut analogia quadam clarius explicem, quomodo mira illa oſcillationum voluntariarum, quae ad tempus fiunt, cum involuntariis indeſinentibus copulentur, indeque ea harmonia poſſit evenire, quae illarum ideam nobis adferat; abſque quod vehementiores contractiones illae, durae praeſertim Matris, ex ſola mechanica lege aſſidue productae, leviores alias obſcurent, imo iſtae ſenſibiles nobis evadant, ac longe magis ſenſibiles, quam illae, etſi validiores ſint: ſatis erit animadvertere, quod externa alia quaevis ſenſoria organa dum arterioſus ſubit continue ſanguis, eorumque membraneas fibrillas permeat, proinde eas commovet, & alterat, & quidem magis, quam externa objecta, aut tacta, aut viſa, aut audita, aut olfacta faciant; & nihilominus hinc ſenſatio emergit, eaque ab illa majore ipſarum fibrarum alteratione neutiquam offunditur; quippe quod iſta, utpote conſueta, nil

pror-

prorſus ſenſibilis nobis evadit.

Quod ſi Cerebelli membranas involuntariis, eas autem, quae ad Cerebrum pertinent, voluntariis motibus ſpeciali ultro modo conferre, cum aliquibus ſtatuamus: eadem, paucis mutatis, explicatio propoſito ſatisfaciet, ut praedictarum mentis affectionum veriſimilem ſaltem adferamus rationem, ſolis naturalibus principiis, abſque ulla Daemonis opera, innixam. Neque hic diſquirendum eſſe hac occaſione cenſeo, quomodo Anima noſtra, quae ſpiritualis omnino eſt, praedictis modis, ex ſuppoſita Meningum ſtructura & actione, modo patiatur, modo agat, ut velit, aut utcunque aliter munera ſua praeſtet, juxta Oeconomiae animalis ordinarias leges, ſeu mavis tunc operari multifariam poſſit. Hoc enim nec in alia quavis ſententia explicari, ne dicam, intelligi adamuſſim poteſt: uti etiam accuratum quemlibet Philoſophum latet ratio unionis Animae cum Corpore, ejuſdemque ubicationis; ſuper quibus ideo fruſtraneum penitus eſt immorari. Addimus hiſce demum, quod Meningum oſcillationes illae, primo a nobis indicatae, cum aequa proportione oſcillationes alias in omnibus nervis aliquo modo moderentur, ut diximus; ita etiam animalis totius Oeconomiae regimini conferunt; quod ideo pluries pari pacto alteratur, ſi oſcillationum illarum invo-

luntariarum ordo ab aliis involuntariis, ſive, ope externorum ſenſuum excitatis, oſcillationibus altere-tur: & ita ſecus: *On a coutume de dire* (rite doctiſſimus quidam Anonymus animadvertit) (*a*) *que les paſſions de l'Ame peuvent troubler l'economie du Corps, l'amaigrir, le deſſécher, irriter ſes organes, en faire le déperciſſement; on devroit auſſi bien dire, que differens défauts de conformation, ou vices des humeurs ſont capables de donner a l'Ame ſes paſſions extrémes & derégleés*: uti ex dictis liquido conſtat.

Ut paucis omnia haec, uti valeo, complectar: actiones animales omnes, quaecunque illae ſint (quas utique ex Meningum oſcillationibus, ſeu mavis elaſticis contractionibus, aut ſimplicibus, aut compoſitis reſultare ſtatuimus) aliae in Meningibus incipiunt, atque in ipſis terminantur; uti ſunt ſenſus interni omnes, ac potiſſimum actiones intellectuales quaeque, Hominis vere propriae: aliae a Meningibus obortae, ad quoslibet Corporis nervos, aut ad aliquos ſpeciales eorum ramos propagantur; uti in voluntariis aeque ac in involuntariis motibus evenit: aliae tandem, ab externorum ſenſuum, aliarumve inferiorum partium, Nervis provenientes, ad Meninges properant, atque in ipſis deſinunt, analogas prioribus (unde primo devenerunt) excitando ibidem oſcillationes;

qua

(*a*) *Traitè de la communicat. des maladies & des paſſions.*

qua ratione ſenſationes quaelibet explicantur, tam reſpectu ad vulgares quinque ſenſus, quam reſpectu ad paſſiones quaſcunque, Hominem quoquo modo afficientes; puta Iram, Moerorem, Amorem, & praecipue venereum, ejuſdemque maxime cenſus Furorem &c. Quae omnes praeterea paſſiones, (utcunque ſuſcitatae fuerint, vel ab intra, vel ab extra) in unoquoque diverſimode progignuntur & agunt, pro diverſitate conſtitutionis in Corticibus nervorum, ipſis inſervientium, ac praeſertim in Meningibus ipſis, in quibus eae analogae oſcillationes magis compoſitae, uti diximus, perficiuntur. Idque ſane verum eſt, ſive organica Membranarum illarum ſtructura connaturalis, ut ſic dicam, ſit tali Corpori, ſive a ſuperadditis morboſis cauſſis oborta quomodocunque fuerit. Summam hanc, & plane admirabilem Meningum poteſtatem, non ſolum quo ad ſenſationum quarumvis productionem, ſed etiam quo ad totius animalis Oeconomiae moderamen (praeter ea, quae circa hoc ex profeſſo protulerunt Pacchionus, Baglivius, & alii) eo magis oſtendunt obſervationes innumerae in demortuorum, ex Apoplexia, Paralyſi, convulſionibus, aliiſve ſimilibus Capitis morbis, factae cadaveribus, quas fruſtraneum hic eſt enarrare. Hujuſcemodi ſpecialem conſcripſit obſervationem, in eleganti Epiſtola, ad Celeberri-

mum Vallisnerium data, Doctiſſimus aeque ac Expertiſſimus Mediolanenſis Medicus Franciſcus Palatius (*a*), cujus non tantum ſingularem in Arte peritiam ſuſpicio, quam comitatem amo. Peculiarem ibidem morbum & mortem refert Hominis cujuſdam, qui contumaci laboraverat vigilia, dolore gravativo capitis ad frontem, una cum delirio ſine febre, addita ſumma virium dejectione, reſpiratione gravi & lenta, ac ſumma potiſſimum pulſus tarditate, ita ut inter ſyſtolem & diaſtolem maxima intercederet mora. Secto cadavere, cyſticus tumor, lymphatico tenaci humore ſcatens, inventus eſt, figurae adinſtar caſtaneae, pugni magnitudinem fere aequans; iſque in ſiniſtra parte ad meſſoriam falcem poſitus; propter quod oſcillatorium Meningum motum, ob inde factam compreſſionem, ſummopere perverſum fuiſſe, ſuſpicatus eſt, ſpeciatim circa Paris vagi, & Intercoſtalis nerveam ſcaturiginem: ex quo phaenomena morboſa illa omnia ſolertiſſime deducit.

Ex hiſce autem omnibus patet ultro, quod externorum quorumvis ſenſuum exercitii perfectio non caudicum tantum nervorum, ad illos ſpectantium, oſcillationes in ſenſoriis ſingulis importat; verum etiam alias Meningum analogas reſpicit, quarum ope

(a) *Raccolta d' Opuſcoli Scientifici &c. tom.* 13.

ope Anima utcunque ſentire dicitur, aut mavis ſenſatio, in illis incoepta, in hiſce ſubinde terminatur, aut perficitur. *Nos enim* (a) *ne nunc quidem cernimus oculis ea, quae videmus. Neque enim eſt ullus ſenſus in Corpore, ſed, ut non ſolum Phyſici docent, verum etiam Medici, qui iſta aperta, & patefacta viderunt, viae quaedam quaſi ſunt ad oculos, ad aures, ad nares, a ſede Animi profectae.* (Nos autem a Meningibus veriſimiliter arbitramur.) *Itaque ſaepe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus: ut facile intelligi poſſit, Animum & videre, & audire, non eas partes, quae quaſi feneſtrae ſunt Animi, quibus tamen nihil ſentire queat Mens, niſi id agat, & adſit.* Atque hoc ex praehabito ratiocinio elicitur facile. Quotieſcunque nempe ſupponatur, Meningum oſcillationes illas, quae ad intellectuales actiones pertinent, valide adeo, aſſidue, ac intenſe fieri, tamque diu perdurare; ut oſcillationes alias, ab externis ſenſibus derivatas, appoſite nequeant concipere: ſicuti vice verſa iſtarum vehementia, & intenſio, & iterata nimium vis, illarum perfectum exercitium, aequa proportione, quam maxime impedit, ac omnino fere pervertit; idque ex aphrodiſiis validioribus diuturnis paſſionibus, de quibus hic ſermo eſt, evenire paſſim nemo eſt qui ignoret. Ex

(a) *Cicero lib. 1. Tuſcul. quaeſt.*

oppoſito quiſque in ſe ipſo experitur, quod ſolus in ſuo cubiculo degens, clauſis omnino feneſtris, nulliſque proinde externis objectis perturbatus, & clarius, & diutius, & acrius ingenio ſeſe exercere quomodocunque valet. Hominis idcirco perfecti, ac Mente optime valentis, praeſtantia, ad differentiam belluarum, & inſanientium Hominum, in eo potiſſimum conſiſtit, non ſolum quod illae Meningum oſcillationes, quae ad intellectuales actus pertinent, juxta propriam cujuſcunque conſtitutionem, rite perfecteque procedant; ſed eo ultro melius fiant, pro re nata videlicet cohibendo externorum ſenſuum, ſeu paſſionum vividiorum, vehemens, frequens, aſſiduumque nimis exercitium, propter quod validiores in Nervis oſcillationes excitantur, dictos Meningum intellectuales motus perturbare, ac praepedire valentes. Hominis ejuſcemodi animales actiones optime diſtinguit Cicero, hiſce verbis. (a) *Animi autem, & ejus Animi partis, quae princeps eſt, quaeque Mens nominatur, plures ſunt virtutes, ſed duo prima genera: unum earum, quae ingenerantur ſuapte natura, appellanturque non voluntariae: alterum earum, quae in voluntate poſitae magis proprio nomine appellari ſolent: quarum eſt excellens in Animorum laude praeſtantia. Prioris generis eſt docilitas, memoria: quae fere omnia appellantur uno*

(a) *Cicero de Finib. lib.* 5.

uno ingenii nomine: eaſque virtutes qui habent, ingenioſi vocantur. Alterum autem genus eſt magnarum verarumque virtutum, quas appellamus voluntarias, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, juſtitiam, & reliquas hujus generis. Porro propter haec alterum virtutum genus in Homine praeterea Cicero admiratur; (a) quod nempe *Homines, etſi multis aliis, tamen hoc uno a beſtiis plurimum differant, quod rationem habeant a natura, mentemque datam & acrem, & vigentem, celerrimeque multa ſimul agitantem, & ut ita dicam, ſagacem: quae & cauſſas rerum & conſecutiones videat, & ſimilitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum praeſentibus futura copulet, omnemque complectatur vitae conſequentis ſtatum:* quae omnia perfectum ratiocinium, Homini ſpecialiter datum, comprehendunt. Ad haec autem nunquam exacte valet Homo, niſi organa illa quaelibet Corporis, quae ad illa conferunt, bene, uti fas ſit, diſpoſita adamuſſim fuerint: quatenus videlicet Meninges & ab ortu ipſo congruam nactae ſint ſtructuram; nec quidquam, vel ab extra veniens, & agens, vel aliarum Corporis partium vitio quovis emergens, illarum aptum tonum, actioneſque pervertat: nec praeterea vividius externorum ſenſuum exercitium quodcunque, ut diximus, intellectuales Meningum ſuperiores actus impediat, aut alteret, aut perturbet, propter quos

(a) *Cicero lib.* 1. *de Finibus*.

quos virtute & ratione praeſtare ſupra caetera animantia Homo dicitur. Ea quippe mutua eſt relatio ſenſuum internorum ad externos, quod & iſtorum actio, illorum functiones proinde pervertat; atque par hiſce noxa, ex illorum motibus viciſſim proveniat; id quod in Animi vehementioribus pathematibus, atque in intenſo nimium ſtudio, perſaepe evenire poſſe, a Meningum ſpecialibus oſcillationibus ratione petita, facile eſt explicatu. Exemplum aſſumam a Doctiſſimo Brinio propoſitum. (a) *Qui ira, furoreve detenti, ictus tormentorum bellicorum, & excruciantes alias, & ſenſibiles maxime impreſſiones non percipiunt interdum, hoc ideo ſit, non quia vellicatio a glande tormentaria, gladio, vel ſono, & reliquis, in ſenſus organo, & nervis facta, non ſit doloris cauſſa; ſed quia nervi, alteri inſervientes ſenſui exquiſita magis tenſione, convulſione, & impulſione affecti ab alio praevalente objecto, ſenſus hic obtuſior, atque remiſſior vix perſentitur, atque percipitur eo temporis momento.* Ne vero in hiſce praeter inſtitutum fruſtra morari Lectorem videar, ſatis erit pauca haec ad propoſitum noſtrum attigiſſe; cum alia, quae de admirabili commercio mentis cum Corpore, mutuaque utrinque reſultante actione apud Metaphyſicos videri poſſint, ac praeſertim apud Celeberrimum Phyloſophum ac Mathematicum Prae-

(a) *Brinius de Spirit. Animal. Inquiſ. n.* 136.

Praeſtantiſſimum P. Fortunatum a Brixia; cujus Philoſophiam Mentis, mira ſane methodo accuratiſſime tractatam, cum per otium mihi conceditur, a Medicis nempe negotiis paullulum liber, iterum iterumque, ſumma ſemper cum voluptate, atque utilitate, ſaepiſſime legere conſueſco.

Iis itaque praehabitis; ut ad rem noſtram accedamus, haud difficile meo videri erit captu, quî factum fuerit, ut Juvenis noſtra, veſano, ut ſic dicam, amore erga Amaſium ſuum capta, eoque ſummopere exardeſcens, ac ſubinde (quod ſummum porro eſt) ob illius Mortem, optati, jamque decreti, conjugii ſpe fruſtrata, tumultuariam violentamque paſſionem illam contraxerit, quae Meningum ſymetriam labefactare admodum ipſi potuerit; non adeo tamen ut priores oſcillationes illae, quas involuntarias, organicas, & perennes eſſe ſtatuimus, omnimode perverterentur; ſed illae potiſſimum, quae, ex iis compoſitae, ob allatas rationes, identidem emergunt. Etenim, ſi priores illae etiam gravem inde firmamque contraxiſſent labem (uti perſaepe ex violentis Animi pathematibus evenire, cuique notum eſt) Oeconomia animalis tota perverſa eſſet; ideoque Juvenis illa gravem, diuturnumve ſubiiſſet morbum: quod neutiquam ipſi contigit; ut eos omittamus hyſtericos affectus, viciſſitudineſque,

quae

quae, cum & in aliis, extra hujuſcemodi circumſtantias, eveniant, parvi ad hoc fieri debere mihi videntur. Neque inſuper ſubſecuta inde Meningum labes talis evaſit, neque firmiter adeo impreſſa eſt, ut compoſitae aliae, quae poſthac fierent, oſcillationes, ad intellectuales ſublimiores actus ſpectantes, abſque norma, citra Animae imperium, ſemper & aeque perficerentur: alioquin eodem modo ſemper inſana evaſiſſet: quod ſecus ipſi contigiſſe, ex Hiſtoria evincitur; cum nempe ad tempus ſolummodo, & plurifariam deſiperet, ac furioſa eſſet, eodemque modo graves paſſiones alias, ſine manifeſta externa cauſſa, pateretur, atque utplurimum Mentis compos prorſus fieret, ſimulque, pro re nata, recte ratiocinaretur. Quod autem a vehementi, diuque nimis protracta animi perturbatione quavis, ac praecipue amatoria (ex qua violentiores quaſdam, diuturnaſque concipere oſcillationes coguntur utcunque Meninges) iſtae poſtmodum aliis, oppoſitis maxime, ſubeundis contractionibus ineptae fiant, aut ſaltem male diſpoſitae: id ipſum, praeter dicta, concipere poſſumus, analogia deſumpta a muſcularibus quibuſvis Corporis motibus, qui oculis ipſis ſubjiciuntur. Etenim ſi Corpus, aut ejus pars aliqua, in eadem diutius poſitione conſiſtat unquam, impotens ad alios motus deinceps fit, perinde ac ſi ejuſdem

dem fibrae torpeſcerent; adeo ut, pro voluntatis nutu, contrahi libere muſculi ad aliquod tempus nequeant, aut ſaltem non ita facile, ut antea, ideoque majore, praeter conſuetum, conatu tantum moveantur; uſque dum illae muſculorum fibrae, quae antea diu nimis tenſae quoquo modo evaſerant, atque permanſerant, priſtinum paullatim nanciſcantur congruum tonum, ſuiſque proinde obeundis muneribus, aut ex ſe, aut, uti Anima juſſerit, aptae denuo fiant. Id ipſum praeterea ſpeciatim apparet in externo viſus organo, in Pupilla nempe, quae plus minuſve, ciliarium fibrarum ope, adſtringitur modo, modo dilatatur, juxta diverſam lucis copiam, qua, conſpiciendum objectum quodpiam, illuſtretur. Ideo quo diutius in illuminato maxime loco quiſpiam immoretur, indeque ad obſcurius tranſeat; eo diuturnius requiritur tempus, ut objecta ibidem poſita diſtincte videat. Etenim ciliares illae fibrae longe diſficilius diverſam ſubeunt poſitionem ab illa, quam antea diu nimis ſervarunt; cum ſcilicet Pupilla, quae primum adſtrictior erat, ne nimium exciperet lucis, in ſecundo poſtea caſu, dilatari debeat, ratione habita ad minorem lucis copiam, objecta ibidem tunc illuſtrantis. Haec autem dicta velim, non quod eodem modo in Meningibus rem ſe habere omnino cenſeam; cum, ob diuturnam quamvis paſ-

ſionem,

ſionem, Animo occurrentem, eaſdem diu oſcillationes evenire Meningibus dixerim, ut ad alias minus expeditae evadant: ſed ut aliquo exemplo uterer, indeque propoſita illuſtrarem ratiocinia. Si enim eorum plurium motuum, qui in Corpore noſtro contingunt, oculiſque ipſis ſubjiciuntur, rationem, ordinem, ac finem adamuſſim aſſequi neutiquam valemus; quid de occultis, intra Cranium factis, circa Meninges, pro certo aſſerere unquam concedetur; tametſi & iſti, ſecto in Animalibus Cranio, quoquo modo conſpicui evadant? Caeterum utcunque rationem ad hoc ſe habere velimus, illud utique ſatis erit innuere, quod experientia ipſa pluries confirmatum eſt; quod nempe dum a vehementi paſſione quavis phantaſia quomodocunque laeditur, incongruaeque inde ſuſcitantur ideae, eas non adeo facile eſt deſtruere, imo difficillimum; cum ad hoc vividae aeque aliae requirantur ideae, eaeque diutiſſime Mente obvolutae, ac iteratis vicibus excitatae, ut priores tandem erroneas deſtruant. Ejuſcemodi innumera exempla apud Clariores Medicos legi poſſunt; eorumque aliqua recenſet Caelius Rhodiginus. (*a*) *Quoſdam invenias, qui ſe putent figlinum vas, quamobrem contactum Hominum, & omnino propinquitatem expaveſcunt, ne quo modo comminuantur, decurtenturve: Alii gallum conſpicati,* *prius*

(a) *Cael. Rhodig. Lect. antiqu. lib. 9. cap. 26.*

prius, quam edat cantum, alas excutere, ipſi quoque conſimiliter brachia motitant, mox & canunt. Sunt quos perpetuo timor percellat, ne mundum fulciens Atlas, ſervanſque laſſeſcat, iſque feratur in praeceps, & omnes una pereant ruina. Proinde fugam ſemper meditantur, ut, ſi fieri poſſit, ſeſe extra mundana clauſtra proripiant; Ut alias omittam obſervationes a Marcello Donato allatas, in Hiſtoria ſua Mirabili, lib. 2. cap. 1. Tantique adeo phantaſiae perverſae ideas, diu Mente infixas, valere, ut ratiocinium omnino pervertant, atque in furorem Homines cogant, aliunde conſtare ſatis, praeter alios, recenſiti Auctores adnotant, & praecipue Rhodiginus, cum de iis agit, qui & in ſe ipſos, & in alios ſaevire non verebantur. Inſuper varias maniaci ejuſcemodi furoris ſpecies, atque inſaniae, ſub diverſis nominibus proferri ſolere autumat; (*a*) unde *Mammacuthos* nominat, *ut homines id genus quandoque Mamalucos dicamus*: variaſque haſce dementias, modo *Gynaecomaniam*, modo *Ortygonomaniam*, *Doxomaniam*, *Ornithomaniam* appellari poſſe, cenſet, *& id genus alia plura, cum quis in re quapiam debacchatur praecipue*. Haud omittendum tamen eſt, quod phantaſiae laeſiones iſtae, & ludibria quaevis, ob vividiores ideas Menti infixas, etſi Viris aeque contingant, feminis tamen familiares magis ſunt, atque in ipſis mira adeo plurimaque

(a) *Cael. Rhodig. ibidem cap.* 28.

que efficiunt, propter quae a Daemone vexari vulgo facile nimis credantur; uti Celeberrimus Muratorius animadvertit; (a) aliique, quos non vacat hic referre.

Ex hiſce vero quamquam merito ſtatui poſſe liquet, Juvenem noſtram, ab erotica paſſione illa, ſubſecuti inde maniaci furoris principium nactam eſſe: plurimum tamen ad haec contuliſſe ſtatuendum eſt, aphrodiſium humorem illum, ab Utero ſpeciatim derivatum; quippe qui & per univerſum Corpus debacchando, diuturnas ipſi primum variaſque attulerat convulſiones. Eodem enim modo, quo effraenus humor iſte, lympham univerſam inficiens, ac muſculorum quorumvis interſtitia ſubiens, ibidemque ſtagnans, ac ea ratione putreſcens, acrior redditur, nerveaſque ibidem fibras varia ratione irritat, aut vellicat, adeoque ſpaſmodicas contractiones in reliquis partibus excitat: tumultuoſos pariter motus, ſeu oſcillationes in Meningibus pari pacto excitare valet. Sicuti enim membranarum quarumvis minimas fibrillas lympha in ſtatu ſano aſſidue alluit, ut laxas, uti fas eſt, diſpoſitaſque ad motum reddat; uti & de muſculorum quorumcunque filaminibus intelligimus: idem & de Meningibus verum eſſe, ratio docet; ut nempe earum lacertuli indeſinentes oſcillationes

(a) *Trattato della forza della Fantasìa Umana.*

tiones ſuas exerant: quae ideo tumultuariae, & inordinatae, & incongruae fient, quotieſcunque ab aphrodiſio eo principio infecta lympha, illuc tendens, non laxare, ſed corrugare, ſeu ſtimulare potius apta ſit. Idcirco verisimillimum ex eo eſt deducere, quod ſucceſſive, tunc cum contractiones illae in Meningibus identidem violenterque utcunque fierent, rationis quandoque exercitium pluriformiter everteretur; indeque Juvenis illa in Furorem adacta, veluti per vim, ea agere coacta eſſet, quae extra Maniacos illos inſultus ne cogitaſſet quidem; propter quod, mutata ſubinde denuo Meningum diſpoſitione, eorum poſtea penitus obliviſcebatur. Nulla ideo infelici Juveni culpa recte tribuenda erit eorum, quae male quomodolibet aut in ſe ipſam, aut in alios, aut etiam contra ſacras leges operata tunc fuerit in ſummo furoris aeſtu. Circa haec enim, aliaque ſimilia juſte cum Cicerone ſtatuendum eſſe, reor, (*a*) *culpam nullam eſſe, quum id, quod ab Homine non potuerit praeſtari, evenerit: Nam avocatio illa, quam affert, cum a contuendis nos malis avocat, nulla eſt: Non eſt enim in noſtra poteſtate, fodicantibus iis rebus, quas malas eſſe opinemur, diſſimulatio, vel oblivio. Lacerant, vexant, ſtimulos admovent, ignes adhibent, reſpirare non ſinunt.* Sane non in hiſce ſolum, ſed & in aliis circumſtantiis, extra morbi

 occa-

(a) *Cicero Tuſcul. quaeſt. lib.* 3.

occaſionem, tanta taliſque eſſe deprehenditur aphrodiſia ipſa paſſio, quum vehementior eſt; ut ad Furorem tunc prorſus accedat, ideoque inſanire etiam Sapientes cogat. Itaque tunc recta, ut vocant, rationis norma procedere ſe velle, Nemo praeſumat; ſin occaſionem omnino, uti fas ſit, effugere opportuno antea tempore ſatagat.

Nihilo tamen ſecius, etſi concedendum merito ſit, ejuſcemodi miras affectiones, ab aphrodiſio principio effectas, non ſolum Feminis (quibus familiare magis hoc eſt, atque ſaepius graviuſque evenit) ſed etiam Viris, ob peculiares alias ultro rationes contingere: in utriſque ſemper apta potiſſimum praerequiritur diſpoſitio Corporis, quam in Juvene noſtra praeextitiſſe, cognovimus. Hoc ipſum ſentit Praecl. Hecquetus, (a) ubi ſic ait. *Cette maladie de vapeurs ne ſurvient à qui que ce ſoit, Homme, ou femme, que parceque le Corps humain porte en ſoi une diſpoſition naturelle aux convulſions.* Eo magis autem in propoſitum noſtrum paullo infra Auctor idem ſubdit, quod ab Animi pathematibus in Junioribus Feminis oboriri morbi iſti queant, ac ita ſaevire, ut daemoniacae cenſeantur eſſe. *Elles ſont cauſées* (ait ipſe) *& entretenuës par des paſſions de l' Ame, comme en parlent les Medecins Philoſophes, ou par des mouvemens excités par des objets, qui troublent des imaginations*

(a) *Le Naturaliſ. des convulſions prem. part. pag. 7.*

genations d'autant plus aiſées à ebranler dans le perſonnes du Sexe, qu'en elles ſe trouve naturellement un genre nerveux tres-ſenſible. Idque in Juvene noſtra potiore ſane jure fas eſt attendere, cum gracilis admodum ſit fibrarum univerſus contextus, atque eae facilius alterari, & oſcillare ex quacunque minima cauſſa queant; & (quod potiſſimum eſſe monuimus) vehementes praeiverint Animi motus, partim ab intenſo amore, quo Amaſium ſuum proſequebatur, partim ex triſtitia, ob ejuſdem obitum, atque tandem utrinque derivati; unde ipſa ſupra modum perturbata eſt. Ideo ſpeciatim addit ibidem praelaudatus Hecquetus, *que les ſymptomes les plus etonants en ce genre attaquent principalement les Filles, & ſur tout dans leur jeuneſſe. Et ces phénoménes ſont quelque fois ſi nouveaux ou ſi extraordinaires, que le Peuple y ſoupçonne de la diablerie.*

Ex hiſce itaque omnibus, quae ratiocinii noſtri fundamentum conſtituunt, liquido patet, cur Juvenis haec, ex ſolis tantummodo Phyſicis cauſſis, eam Animi contraxerit emotionem, atque recurrentem perturbationem variam, propter quam tot incongruas, atque inter ſe admodum diſcrepantes ideas, ſeu phantaſmata quandoque paſſa ſit; ex quibus & furioſa identidem evaſit, & plura geſſit, vidit, audivit, &c., quae rationi & veritati conſona fore ipſa exiſ-

timabat, & ſi revera neutiquam ita ſe haberent. Nobis autem, ad haec ipſa explicanda, optime favet Caſpar Peucerus, (*a*) quum ejuſcemodi Mentis phaenomena enucleare ſic contendit, ex Medicorum placitis: *Medici exceſſum, ſive emotionem Mentis, Melancholiae ſpeciebus connumerant, dicuntque ex copia, & vehementia humoris melancholici* (idem & de aphrodiſio illo ſucco militat) *cum inundantis, tum imbuentis, atque immutantis craſim Cerebri, & ſpirituum, fieri quemdam veluti ſeceſſum Animae inter ſeſe, demerſumque, aut intentionem, atque applicationem acriorem in aliquam imaginationem, adeo ut & ceſſet ipſa, ſeque emoveat, quaſi a Corporis adminiſtratione vacatura inſtituto cogitationum operi, & Corpus derelictum a Gubernatore exanimetur, ſuaſque etiam obire & exercere functiones deſinat, ſolo Cerebro excepto, quod a Melancholico humore obſitum, ſtimulatumque phantaſias fingat & formet.* Praeterea ibidem Auctor iſte (uti & plerique ex veteribus Medicis faciunt) ad explicandam diverſitatem cogitationum, viſionum, aut fallacium ſenſationum, aliorumque phantaſmatum, in hiſce morbis Mente obvolutorum; Melancholici humoris mixtionem modo cum aduſta, ut ait, bile, modo cum aduſto ſanguine, aliiſve pravis ichoribus, modo ſingulos ex hiſce ſeorſim aſſumit. Ego vero, tametſi aphrodiſiam praecipue lympham, & fortaſſe bilioſum

(a) *Caſp. Peucer. lib. de Divinationib.*

ſum, aliquando humorem, imo univerſam etiam ſanguinis maſſam, plus juſto quandoque aeſtuantem, aut copia adauctam, ad incongruas eas viſionum, & cogitationum ſpecies, & erroneas ſenſationes, affectioneſque perturbatae Mentis quaslibet, in caſu noſtro contuliſſe quoquo modo fatear; iſtorum nihilominus omnium veriſimilem, & immediatam magis cauſſam ab inordinatis Meningum oſcillationibus, atque contractionibus, tumultuarie, & abſque conſueto plerumque ſenſuum externorum adminiculo, factis, juxta praepoſita ſupra principia, repetere ſatius duco. Puto enim, alterationes ejuſcemodi modo in ea Meningum parte eveniſſe, quae nervis opticis indumentum praebet; modo in alia, quae ad olfactorios pertinet; aut in alia aliter, quae cum auditoriis connectitur. Ideo proinde nunc de objectis utcunque viſis, nunc de olfactis, nunc de auditis phantaſmata ipſi exſurgebant, eaque diverſa, pro diverſitate oſcillationum quarumvis, in illis Meningum partibus male excitatarum; abſque quod nempe ab analogis objectis, externa organa urgentibus, juxta conſuetum, ſano modo promoverentur. Poſito quippe, v. g., quod objecta quaevis, oculis noſtris obvia, a nobis ideo conſpici dicantur, quia radii lucis, a quocunque illius objecti puncto reflexi, indeque per humores oculi trajecti, refractique, angulos exinde efficiant,

 quorum

quorum apices retinam ſpecialiter pertingant, alterent, & oſcillare quoquo peculiari modo cogant, atque pari proportione ea Meningum pars, quae ad Nervos opticos ſpectat, analogas ſubeat oſcillationes, quae ſpectati objecti ſpecies adamuſſim referant: Quid ſane obeſt, quod, ob ſupra allatas morboſas cauſſas, pari modo ibidem, extra eamdem objecti repraeſentati occaſionem, oſcillare Meninges valeant, & retinae filamina etiam; ita ut objectum illud ſe videre quiſpiam ſibi perſuadeat, licet ab ipſo neutiquam conſpiciatur? Id quoque in inſomniis evenire, paſſim obſervamus, eorumque phaenomena quaelibet eodem ratiocinio explicari poſſe, in proclivi nobis videtur eſſe. Eamdem ob cauſſam, ſi quis, in obſcuro maxime loco, oculum ſibi extrinſecus ſpeciali modo perfricet, aut apte comprimat, igneas ſcintillulas, per aërem volitantes, ſe intueri, ſibi videtur; eo quia tunc, ex illa perfricatione, alteratio in filaminibus Retinae, & Meningum ſuccedit, illi propemodum ſimilis, quae a viſis revera ſcintillulis, excitari tali modo debuiſſet. Haec autem, quae de viſus ſenſorio diximus, de aliis etiam vera eſſe poſſe, nemo, uti opinor, inficias iverit: habita ſcilicet ratione ſolum variae cujuſcunque organi texturae, modique, quo externorum objectorum ſpecies in ipſis primum imprimuntur, indeque in correſpondenti-

dentibus Meningum lacertulis perficiuntur; quando revera talia objecta Senſoriis quibuſvis utcunque repraeſentata fuerint; ut exinde intelligatur quî fiat, ut aliquando videantur adſtitiſſe, licet haudquaquam adſtiterint. Ob easdem inſuper cauſſas, aliquando etiam in Juvene noſtra evenit, ut non ſolum ſibi videretur ea cernere, tangere, audire &c. quae nuſquam aderant; verum etiam, quae aderant, licet vigil, nec quidquam extrinſecus impeditis ſenſibus, aut nihil penitus, aut male ſaltem ipſa animadverteret. Tunc enim, ob perverſam Meningum conſtitutionem, aut nullae ibidem oſcillationes ab objectis, extrinſecus organa pulſantibus, excitabantut, aut incongruae, ſeu quomodolibet improportionatae ideae fiebant: quippe quod ſpecies etiam externorum objectorum inordinate & promiſcue impreſſae eſſent, neque Meningum correſpondentia filamina tunc rite, pro re nata, oſcillarent, neque perfecte alterationes illas conciperent, neque opportune retinerent; quae cum alterationibus aliis, extrinſecus, ut diximus, factis, aequa ratione convenirent, ſive mavis proportionatae iis eſſent. Attamen haud inficiabor unquam, quod aliquando etiam erronea objectorum phantaſmata Juveni huic contigerint, ex incongruis tantum externorum quorumvis ſenſuum diſpoſitionibus, abſque Meningum laeſione: eo quia ſcilicet nervorum caudices, ad or-

gana illa ſpectantes, convulſione detinerentur, aut aliter alterati eſſent; ita ut oſcillationes quidem ſubirent, improportionatas tamen, externis objectorum impreſſionibus, quas inde Meningibus ſuppeditarent. Quod ſi in externis ſenſoriis nullae tunc oſcillationes fierent, nullas quoque in Meningibus ſuſcitari exinde reliquum eſſet; tametſi iſtae optime caeteroquin conſtitutae forent. Eapropter plures occurrunt paſſim convulſionariae Feminae, quae derepente oculorum acie privantur, nec quidquam objectas ipſis res intuentur; uti & aliae, quibus in gyrum agi quaeque videntur. Illud plane fit, ob ſpaſmodicam nervorum opticorum contractionem, aliquando etiam reſolutionem, unde oſcillare amplius nequeunt; hoc vero ob incongruam morboſam commotionem, in Retinae filaminibus, a convulſivo principio, excitatam, propter quod luminoſorum penicillorum apices abſque norma imprimuntur. Adeo autem verum eſt quod ejuſcemodi morboſae affectiones ea ratione inopinato perſaepe fiant; quod, congrua Opii doſi, aeque facile ſolvantur, uti pluries in Hyſtericis obſervare mihi contigit. Ideoque toto Coelo tunc aberrant illi, qui, ut hiſce proſpiciant malis, ad Collyria, ad Veſicatoria, Emplaſtra, aut ad alia hujuſce cenſus, non fruſtra tantum, ſed male confugiunt, Aegrotaſque ſuas perperam extorquent. Quum vero

incon-

inconcinnae illae ſpecies, utcunque, ex dictis, enatae, agente Anima, inter ſe mutuo male conferuntur, alterantur, aut componuntur: eo longe pejus negotium abſolvi, neceſſum eſt. Etenim novae aliae inde reſultantes ideae, magis compoſitae, incongruo eo magis magiſque & abſurdo modo emergent: ideoque pari hinc paſſu & judicium, & diſcurſus, & aliae quaevis intellectuales actiones, quae Hominis vere propriae ſunt, peſſime quoque procedent. Ex hiſce quiſque noſcet, cur factum ſit, ut varia ſaepe ſe videre, aut audire male opinaretur Juvenis illa: tum quia, ut in primo caſu, illorum objectorum ſpecies ipſi contingerent, quae externa organa neutiquam affecerant: tum quia, licet objecta vere ſenſoriis objicerentur, haudquaquam analogas ſibi ideas in ipſis producerent, imo nullo modo conformes. Inde Furoris illius Maniaci rationem habemus, in quo, (*a*) teſte Sennerto, Aegroti *imaginantur ea, quae non ſunt, & nullum diſcrimen inter honeſtum & turpe, bonum & malum, amicum & inimicum agnoſcunt*. Propterea Cicero quoque animadvertit, (*b*) *multa poſſe videri eſſe, quae omnino nulla ſunt, cum Animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quae nullae ſint, ut iis, quae ſint*. De Furentibus tamen ejuſcemodi, ac de Somniantibus eadem

(a) *Sennertus cap.* 15. *de Mania.*

(b) *Cicero lib.* 4. *Academ. quaeſt.*

dem porro ratio eſt: cum in utriſque, ob perverſam Meningum diſpoſitionem, Animorum quoque actiones aeque male, ſuo modo, procedant. Enim vero Animi, (*a*) *quum ſuſtinentur membris, & corpore, & ſenſibus, omnia certiora cernunt, cogitant, ſentiunt. Quum autem haec ſubtracta ſunt, deſertuſque Animus languore Corporis, tum agitatur ipſe per ſeſe. Itaque in eo & formae verſantur, & actiones, & multa audiri, multa dici videntur*: uti ex hiſce, quae ſupra innuimus, aphrodiſia vigente cauſſa, eveniſſe, manifeſtiſſimum eſt. Appoſite etiam recentiſſimus Poeta (*b*) hujuſcemodi viſionum vices elegantiſſime ſic adfert, Hypochondriae palatium deſcribens.

Sovra la cima del Palazzo volano
Coſtanti fumi, e quì fantaſmi ſtrani
Sorgono come nebbie, orrendi in viſta,
Quai nell' ombre abitate dagli ſpiriti
I ſogni ſon d' un' Eremita, o chiari,
Come viſioni di ſpiranti Vergini.
Or appariſcon fiammeggianti furie,
Fieri ſerpenti in tortuoſe ſpire,
Pallidi ſpettri, orrende tombe aperte,
E di purpuree fiamme ardenti globi.
Or ſono in lieta viſta al guardo eſpoſti

Laghi

(a) *Cicero lib. 2. de Divinat.*
(b) *Il Riccio Rapito. Poema Eroicomico.*

Laghi di liquid' Oro, Eliſie ſcene,
Cupole di Criſtallo, Angeli poſti
Entro macchine vaghe, e ſorprendenti.

Tandem, ut omnia complectar, Nemini mirum eſſe profecto debet, quod ab aphrodiſio potiſſimum eo ſucco, veluti praecipua movente cauſſa, tot, tamque varia accidentia, quibus Juvenis haec identidem divexata fuit, derivare potiſſimum, atque explicare non dubitaverim: ſive reſpectu ad laeſam plurifariam mentem, ſive reſpectu ad Corporis alias affectiones. Scio enim, & in Hyſtericis vulgaribus morbis varia perſaepe convulſionum phaenomena contingere, pro diverſa Aegrotarum Feminarum diſpoſitione; licet una & eadem fere ſemper ſit ipſorum origo. Idcirco aphrodiſium hunc ſuccum, circa vicinias Uteri reſtitans (ideoque corroſivam hinc, pene dixerim, vim nactum) qui ſubinde univerſam lympham inficit, tanquam Virus quoddam habendum eſſe, cenſeo, quod in una modo, modo in altera parte Corporis agat, indeque diverſa adferat ſymptomata. Hujuſcemodi videtur eſſe Celticum Virus, quod, licet in omnibus idem pene ſit, diverſimode tamen in ſingulis agere deprehenditur; quin imo & in unoquoque nunc unam, nunc alteram partem varie laedit, atque vexat: Quod & de Veneris verum eſſe obſervatur.

Attamen,

Attamen, etſi ratiocinia haec veriſimilia ſaltem aliquibus videri fortaſſe queant, propoſito tamen noſtro ſatisfacere poſſe, illi neutiquam concedent, qui oppoſitum prorſus adhuc ſentient, utpote qui pro certo habent, viſiones illas, ab affecta hac Juvene tunc habitas, nullo modo naturalibus ſolis principiis conformes eſſe, ideoque veluti divinas partim, partim veluti Daemoniacas dici jure meritoque debere: Divinas nempe, quia circa divina & ſacra ſpecialiter ac plerumque verſatae ſunt: Daemoniacas vero, quia incongruas penitus, & malas ſaepe ipſi imagines & cogitationes excitarunt, a quibus ipſa caeteroquin averſabatur prorſus, quotieſcunque ſui compos eſſet.

Quo ad primum, hiſce cum Cicerone reponere opportunum eſt. (a) *Quid vero habet auctoritatis furor iſte, quem divinum vocatis, ut, quae Sapiens non videat, ea videat inſanus, & is, qui humanos ſenſus amiſerit, divinos aſſecutus ſit?* Ut ipſis nihilominus pro virili, ut ajunt, ſatisfaciam, circa hujuſcemodi viſionum genuinam eſſentiam atque cauſſam, neque ingenioſis dumtaxat commentis militare unquam videar in rebus hiſce, quae ad Sacroſanctam Religionem noſtram pertinere ſpeciatim exiſtimantur: cum Summo Pontifice noſtro animadvertant, obſecro, tripliciter viſiones

(a) *Cicero, lib.* 1. *de Divinat.*

ſiones haſce diſtingui; cum aliae videlicet corporales ſint, aliae (*a*) intellectuales, aliae imaginariae; cujuſmodi illas, quas Juvenis noſtra experta eſt, revera fuiſſe, ex allatis ab ipſo Sapientiſſimo Auctore ibidem, quiſque facile deducet. Etenim poſtea ſic effatur. *Porro, ut dignoſcatur, an viſio, & apparitio, de qua quaeſtio incidit, fuerit naturalis, ſedulo examinandum eſt, an aliqua cauſſa praeceſſerit, ex qua viſio & apparitio procedere potuerit. In Aegrotis etenim, & Phreneticis, & in his, qui nigro humore, ſive melancholico affecti ſunt; in his, qui atra bile abundant, in his, qui vehementibus cogitationibus & affectibus agitantur, multa facilitate contingere poteſt, ut putent, ſe aliqua videre, quae non ſunt, & quod eis aliqua apparere videantur, quae non apparent, quae tamen a ſe viſa, & coelitus demonſtrata praedicare conſueverunt.* Quae num adamuſſim propoſito noſtro conveniant, atque cum praehabitis ratiociniis noſtris conſentiant, penes Sapientes judicium eſto.

Quo ad ſecundum autem, ipſis facile libenterque acquieſcam, ideoque Daemoniacas fuiſſe viſiones eas dicam, ſi Animam rationalem, uti in Thimaeo, Daemonem animalem appellare fortaſſe, in eo ſenſu, velint: aliter autem ab ipſis penitus diſſentiam. Revera enim noſtrae hujuſce Juvenis Anima, cum, ob ratio-

(a) *Lambertin. de Serv. Dei Beat. lib.* 3. *cap.* 50. *n.* 3.

rationes ſupra allatas, tot mira, tamque varia, praeter conſuetum, phantaſmata, ſeu incongruas Objectorum, nuſquam etiam exiſtentium, ideas mente pluries concipere tunc potuerit: Daemoniacam naturam praeſeferre quoquo modo viſa eſt; ea ſaltem ratione, qua *Ariſtoteles*, referente Fortunio Liceto, (*a*) *apte per naturam Daemoniacam, non divinam, quae procreatrix eſt, in Hominibus dormientibus, verorum ſomniorum, ſignificat nihil aliud, quam Animam Hominis rationalem, plurimum a Corporis cura ſecretam, cogitationum officio ſoli vacantem*. Hoc etiam confirmat (*b*) Rhodiginus, haec habens. *Dignum ſcitu, quod Apulejus inquit, quodam ſignificatu Animum humanum, etiam in corpore conſtitutum, nuncupari Daemonem; unde apud Virgilium*

... Dii ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euriale? an ſua cuique Deus ſit dira cupido?

Ergo & bona cupido Animi Deus eſt. Unde Eudaemonas dici beatos putant, quorum Daemon bonus, ideſt Animus virtute perfectus eſt. Intellectum item noſtrum poſſumus recte Daemonem nuncupare; nam Thimaeus inquit, Deum nobis ſupremam Animi partem, tanquam Daemonem, contribuiſſe. Sive itaque uno, ſive altero titulo, ſive utroque ſimul, affectae hujuſce Juvenis noſtrae Animum inſignire quiſpiam malit, ſane proinde in eo ſenſu haud

unquam

(a) *Fort. Licet. in epiſt. ad Gabriel. Naud.*
(b) *Cael. Rhodig. Lect. antiqu. lib.* 1. *cap.* 30.

unquam renuam. Pro certo tamen habebo ſemper, quod, praeter externas recenſitas cauſſas, ſpecialis in ipſa Meningum ſtructura praeceſſerit, uti ſupra indicavimus; propter quam nempe, in iis circumſtantiis, mirum adeo in modum ejus phantaſia laeſa fuerit, omni dempto Maleficio. Equidem, poſito quod Meninges, utpote ſenſationum ſpeciale organum, ſicuti oſtendimus, haberi debeant; ac proinde veluti tabula raſa, ut ita dicam, quo ad idearum quarumvis impreſſionem, vere ſint; variae in ipſa infigi poſſunt ſpecies, eaeque vario modo, non ſolum ob diverſitatem Objectorum, ab extra venientium, quorum ope tabula illa pluriformiter depingitur; ſed etiam juxta diverſam Meningum earumdem diſpoſitionem; propter quam praeterea ex prioribus ſimplicibus ideis alias etiam compoſitas ſuboriri, atque etiam alias de novo penitus progigni poſſe, demonſtravimus. Hoc autem ſatis ſuperque videtur eſſe, ut intellectualium quarumvis actionum moderamen quodvis, ſive ordinatum, ſive ſecus, ſimulque phantaſiae ludibria quaeque explicentur. Idcirco, ſi ſpecialem hanc Meningum conſtitutionem, in Juvene noſtra ſpectatam, ceu ad miras illas mentis affectiones producendas tunc ſpecialiter conferentem, veluti Daemoniacam naturam, haberi, in allato ſupra ſenſu, debere quiſpiam contendat: utatur, pro lubito,

jure ſuo; ego quippe neutiquam refragabor. Eodem nempe modo intelligimus, undenam veriſimiliter eveniat, quod, eadem etiam poſita agentis Animae perfectione, acutiorem alii, alii magis obtuſam Mentis aciem obtineant, ac diverſimode ad animales quaſcunque obeundas actiones diſpoſiti ſint, ſeu ingenio diverſimode polleant: quare iis, qui vino meraco liberalius utuntur, non eadem omnibus aeque ebrietatis ſymptomata eveniant: quomodo, eadem vigente acuta febre, a generali eodem externo principio ſuborta, quae plurimos in eadem epidemica conſtitutione & Urbe corripiat, praeter alia ſymptomata, hujuſce febris familiaria, alii nullo delirio corripiantur, alii plurimum delirent, neque par in omnibus ſit delirii ratio; ejuſdemque nunquam ſimiles viciſſitudines attendantur. Talia etiam in Stultis omnibus paſſim evenire quiſque, eorumdem Noſocomia adiens, obſervabit: dum ibidem, etſi omnes inſani ſint, ſingulis tamen diſſimiles omnino ideas in mente obverſari, ex diverſis ipſorum externis actibus apparet: propter quod alii hilares, alii moeſti, alii placidi, aliique furioſi, & quidem variis modis eſſe deprehendantur, atque ſinguli demum circa peculiaria objecta verſentur. Quae omnia, praeter antehabitas, in ſtatu ſanitatis, exercitationes mentis, peculia-

rem

rem in ſingulis Meningum affectionem indicant, eamque aut ab ortu ipſo, aut a ſuperaddita morboſa aliqua cauſſa progenitam.

Concludendum ideo ex dictis eſt, incongruas haſce (quaecunque fuerint) ideas, ſeu ſpecies a Juvene noſtra in mente habitas (propter quas & plura ſe vidiſſe, aut audiviſſe, ipſa teſtatur, quae nuſquam fuerant, aliaque abſona utcunque operari viſa eſt) a ſola phantaſiae laeſione, eo modo, quo diximus, facta, enatas eſſe. Pro certo quoque aſſerimus, attentis iis omnibus, quae in Hiſtoria habentur, quod, eamdem ob cauſſam, ipſa etiam ſibi carnem e brachio avulſerit, in ſummo Furoris aeſtu, ſibique in Abdomine vulnera illa magna inflixerit, ex quorum altero alimenta & foeces exiiſſe referunt. Neque quidquam veremur aſſerere, quod, media illa ipſa recurva ferrea lamina, quae inde prodiiſſe perperam creditur, ea ſibi tunc Abdomen diſsecuerit. Ut paucis innuam, quidquid mali in ſe ipſam, aut in alios quoquo modo praeſtitit, aut praeſtare tentavit, aut incongruum peſſime egit; non Diaboli auxilio, ſed ab ipſa vere perpetratum fuiſſe, nullus dubito; imo ipſa quodammodo volente, ut ita dicam, adeo nempe, ut talia ſe tunc agere velle, rite non animadverteret; quia tunc voluntatis exercitium a ſola inordinataque abſurdarum ſpecierum combina-

tione, non a libero rationis criterio, uti diximus, proficiſceretur. Omni quippe jure praelaudatus admonet Anonymus, (*a*) quod, *l'ame eſt libre par ſa nature, & quand elle informe un Corps bien diſposé, & des eſprits modérés, dans leurs impreſſions. Mais, quand ces eſprits, ou ſe retirent des extrémités, ou tournoyent trop rapidement, comme dans l'état du delire, l'ame n'eſt plus libre, d'uſer de ſes facultés, s'ils ſe portent trop vivement à quelque organe, elle eſt occupée de telle paſſion, même malgrè elle: & nous demanderons ſi, quand quelque fibre du cerveau ſe diſtend, ou ſe diſſéche, l'ame eſt libre d'avoir de la raiſon & de ne pas s'égarer?* Ipſe enim Cicero novit, quod (*b*) *duobus modis Animi ſine ratione, & ſcientia, motu ipſi ſuo, & libero incitantur, uno furente, altero ſomniante*. Non abs re itaque videri cuipiam merito poteſt, quod Juvenis noſtra, ab inſultibus hiſce ſubinde evadens, ac ſanae mentis effecta, eorum, quae fanatica egerat, nihilum quidem meminiſſet. Eo quia tunc Meningum contextus, ad naturalèm ſtatum redux, neceſſarias oſcillationes perfectius exequebatur, ac proinde ab incongruis antehabitis omnino diſſimiles, non tantum quo ad eſſentiam, ſed etiam quo ad modum, & ordinem; ita

(a) *Traitè de la communicat. des malad. & des paſſions chap.* 3.

(b) *Cicero lib.* 1. *de Divinat.*

ita ut illae cum iſtis nullo modo conſentirent. Non abſimile phaenomenon in ſe ipſo quiſque experitur, dum eorum, quae in inſomniis peregit, poſtea vigil non recordatur, ſeque illa egiſſe firmiter negat: uti eo magis de noctambulis dici ſane debet, qui dormiendo mira plurima praeſtant, quae vigilando, non ſine maxima ſeriaque meditatione, aggredi nunquam auderent: & tamen expergefacti eorum prorſus obliviſcuntur.

Aſt quid plura, de hiſce, ultro proferam? Audacem me quippe nimis fore quiſque judicaret, ſi abdita Mentis penetralia ſubire, ac detegere tentarem: id quod accuratioribus Philoſophis omnibus impervium uſque nunc fuit, eritque impoſterum ſemper. De hiſce tamen raptim diſſerere mihi neceſſe fuit, ut veriſimilem ſaltem (uti me praeſtaſſe opinor) rationem indicarem, unde phaenomena illa morboſa omnia ſolis naturalibus cauſſis adſcribi deberent, quin coelitus auxilium fruſtra repeteremus. Si vero adhuc ſcrupuloſis quibuſdam, enarratorum ſymptomatum, ac praecipue mirabilium tot mentis affectionum, viciſſitudines, negotium ita faceſſant, ut Daemonis vires in ſubſidium vocare nihilominus malint: ea, quaeſo, ſaltem attendant, quae circa hoſce morbos, & maniacos maxime, apud ſaniores Practicos Medicos, multoties obſervata ſunt, utpote

Naturae ipſi, a conſueta, ut dicunt, norma quomodolibet aberranti, tantum adſcripta. Prae caeteris ea hic memoranda ſunt, quae de Virginibus Milleſiis ex Plutarco narrat Sennertus, eas nempe (a) *catervatim ſeſe ſuſpendiſſe, nec potuiſſe monitis, precibus, aut ulla vi impediri. De Lugdunenſibus vero Mulieribus refertur, quod catervatim ſeſe in fluvios, & puteos praecipitaverint.* Alia hujuſce cenſus plurima & varia, Furentibus ſeu Maniacis Feminis familiaria, legi poſſunt in Fanatiſmi hiſtoria gallica, aliiſque, quorum mentionem, una cum eruditiſſimis animadverſionibus ſuis, habuit Celeberrimus Medicus Hecquetus in Naturaliſmo convulſionum; ut alia omittam ſcripta, quae de hac re evulgata fuerunt. Revera enim ſi enarrata ſupra ſymptomata mira omnia, quae identidem Juveni noſtrae contigerunt, cum aliis conferantur, quae Hyſtericis pleriſque evenire paſſim comperiuntur: non niſi majoris minoriſve intenſionis ratione, aut modi, nihil vero, quo ad eſſentiam, inter ſe differre, quiſque cognoſcet. Neminem quippe Medicum, in Praxi ſatis verſatum, latere unquam exiſtimaverim, utplurimum Feminas, cum hyſterico vehementiore aeſtu premuntur, non Corpore ſolum, ſed animo aeque perturbatas mirum in modum evadere. Equidem promiſcue & rident,

&

(a) *Sennertus Pract. lib. 4. part. 2. Sec. 2. cap. 5.*

& plorant, & clamant, & increpant, obſecrantque; quod, ſi adſis, anceps haereas, nec probe noſcas, utrum moerentes conſolari, an furioſas compeſcere, an timentes excitare magis expediat: adeo oppoſitis paſſionibus una graviter extorquentur. Idcirco modo ſacris contemplationibus omnino occupatae, nil niſi ſanctimoniam ſpirant, effuſiſque ad Deum precibus ſeſe recreare videntur: mox ab hiſce alienae penitus evadunt. Quandoque ab adſtantibus adminiculum opportune ſperantes, eos ad ſe aſciſcere omni opera ſatagunt; eoſque paullo poſtea, ut a ſe affatim depellant, jurgiis inſectantur. Jactant ſeſe huc illucque, totumque exagitant Corpus, robore pene athletico valentes; indeque veterno preſſae, languidae, exangues, & immotae jacent; ſemimortuas diceres, cum reſpirationis & pulſus alterni motus vix paullulum conſpicui ſint. Hinc, excuſſo derepente ſopore illo, clamant, dentibus ſtrident, linguam & brachia ſibi mordent, variiſque modis in ſe ipſas, & in alios ſaeviunt; uſque dum extemplo, ut ſaepe fit, ſoluto hyſterico inſultu, in priſtinum ſanitatis ſtatum redeant. Quis autem, quaeſo, ſibi perſuadeat, Hyſtericas ejuſcemodi Feminas, tunc cum animo tot modis tumultuarie perturbantur, ratione recte uti; quin potius eas inſanientes ſuo modo exiſtimet eſſe? Caeteroquin Daemonis hinc penitus abeſſe operam, adeo

tunc patet, ut oppoſitum innuere dementis ſit. Enim vero haec omnia ab analogis Meningum inordinatis oſcillationibus, ut in caſu noſtro, deducere, aequum atque facillimum eſt. Inde pariter intelligimus, cur Juvenis noſtra aliquando a ſacris quibuſcunque muniis aliena fuerit, ſacroſque Eccleſiae Miniſtros ſpreverit, ac Confeſſarium ipſum (quem alioquin, cum ſanae mentis eſt, ſaepe, libenter, ac venerabunde adit) odio habere ſummopere viſa ſit. Cur occaſione Exorciſmorum, propter quos animo ſpeciatim perturbabatur, iraſci maxime ſolita fuerit, ac ſe plurimis modis contorquere, objurganti ſimul Sacerdoti auſcultare renuens; ut fugerit etiam haud ſemel, eumque conviciis ultro affecerit. Equidem haec omnia, laborantis utcunque phantaſiae mira ludibria ſunt, quae eo magis admirationem illis creant, qui eorumdem rationem, uti licet, aſſequi aut neutiquam valent, aut perperam negligunt.

Neque inſuper mirum eſſe poteſt, quod extraneae res illae omnes, quas identidem Juvenis iſta evomuit, aut aliter eduxit, in ipſius Ventriculo, Inteſtinis, aliiſve partibus immorari, ſine gravi noxa, diu potuerint. Eo longe quippe majorem admirationem cuique adferet, ſi attendat, quod Corpora hujuſcemodi per Oeſophagum innocue fere pertranſierint, tunc cum ingurgitata per vim fuerunt, aut per vomitum

educta:

educta: niſi aliunde nobis ſatis, ob multiplices rationes, conſtaret, quod Oeſophagi cavum plus ſolito amplum antea evaſiſſet. Revera enim, ſi ſaniores conſulamus Chirurgos, quiſque concedet, ſolidiores haſce extraneas res, ac praeſertim acuminatas, in Pharyngem intruſas, pejoris admodum ominis evadere, quum in Oeſophagi cavo conſtiterint, quam quum Ventriculum ſubierint, etiamſi ibidem diuturno tempore moram agere coactae ſint. Quapropter data opera, mediis congruis inſtrumentis, Chirurgi jure meritoque tunc jubent, haſce res in Ventriculum potius illico adigendas eſſe, quam quod Oeſophagi parietibus utcunque adhaereant, ejuſdemque tubum obſtruant, aut laedant: cujuſmodi plurimae afferuntur obſervationes; (*a*) unde patet, haud raro minora etiam corpora, in Oeſophago reſtitantia, graviſſimas affectiones, & mortem ipſam attuliſſe. Secus vero plurima recenſentur alia & dura, & aſpera, & acuminata, mole majora, quae, abſque ulla internarum partium laeſione, diu intus detenta ſunt, uſque dum aeque feliciter per Anum fuerint educta. Ejuſmodi fuerunt oſſea, & argentea fruſtula, ferreae claves, vitreae bullae, monetarum fragmenta, nummi integri majores, annuli aurei, plumbei globuli,

 frag-

(a) *Memoires de l'Academ. Royale de Chirurg. tom.* 1. *part.* 2. *&* 3.

fragmenta alia majora vitrea, & criſtallina, Enſis fruſta, longitudinis unius fere ulnae, cultri, novaculae, forfices, aliaque plurima, quae in praecitatis Regiae Academiae commentariis, atque a Gaſpare a Rejes (*a*) afferuntur. Utque magis pateat, quod ab extraneis ingurgitatis duris Corporibus, ac ſubinde in Ventriculo aſſervatis, aut etiam in Inteſtinis, ſimulque eorumdem tunicas perfricantibus, non adeo, ut vulgo creditur, laedi ſemper poſſimus; non abs re erit animadvertere, quod plurimi ex Anglis oblongo quodam ſolidoque inſtrumento utuntur, quod in cavum uſque Ventriculi, iteratis etiam vicibus, adigunt, atque intus circumagunt pluries, ut a gaſtricis impuritatibus ejus cavum repurgent: uti habemus ex iiſdem commentariis, atque Heiſterus ipſe refert. Inſuper, praeter ea plurima, quae de variis Animalibus, lapides, ferrum, aliaque dura corpora facile, & abſque noxa vorantibus, apud Philoſophos adnotantur: haud parvi facienda ea ſunt, quae de Struthiocamelo putat Fortunius Licetus. (*b*) Equidem exiſtimat, illa animalia, ferrum quidem devorare, non autem veluti *Cibum & alimentum, ut vulgo creditur, ſed tamquam adiumentum ad concoctionem duriorum eduliorum promovendam.* Cujus inde rationem ita ſubdit.

Ut

(a) *Gaſpar. a Rejes Elyſ. Jucund. quaeſt. Camp. quaeſt.* 92.
(b) *Fort. Licet. lib.* 1. *de Quaeſit. per Epiſt.*

Ut enim caro, prope oſſa degens, citius concoqui ſolet, utque gallina nuper interempta cito decoquitur, ſi lapis intra illam, vel nux, vel plumbea glans, vel durius aliquod Corpus inſuatur; quia calefactum, ab igne, carnes concoquente, durum illud corpus, in ſua duriore ſubſtantia calorem intenſiorem & actuoſiorem gerit, adeoque carnes veluti a duplici calore concoquuntur: externo ſcilicet ignis ardentis, atque ab intimo calore, vel oſſi, vel ferro, vel etiam lapidi quomodocunque impreſſo: Sic plane Struthiones inſtinctu Naturae ferrum devorant, nec quidem ut nutriantur, ſed ut illo, a naturali caliditate ſtomachi percalefacto, facilius ingeſta cibaria concoquantur, ſuapte natura ſolo ventriculi calore difficiliora coctu, tantumque non incoctilia. Quod duriora quaeque ſolida corpora calorem utcunque conceptum diutius conſervent, ex Phyſicis experimentis abunde patet. Ideo veriſimillimum videtur, quod & ferrea, & vitrea, & ſaxea, aliaque dura corpora, ab iſta Juvene devorata, in Ventriculi cavo commorando, non obeſſe tantum, ſed prodeſſe etiam ipſi quoquo modo potuerint, ad faciliorem ciborum efficiendam concoctionem: uti & hoc ipſum ultro, ex eorumdem mutua indeſinentique colliſione, & affrictu cum alimentoſa maſſa, derivandum haud immerito fortaſſe foret. Haud tamen inde ſtatuerim unquam, utiles cuique & ſemper, ea ratione, evadere poſſe extraneas duras quaſlibet ingurgitatas res; ita quod non temere, ſed con-

ſulto

ſulto ſe gerere eos exiſtimarem, qui, ſolo Maniaci Furoris aeſtu concitati, haec & ſimilia praeſtant. Etenim, praeter innumeras rationes, ex quibus oppoſitum evinci merito poteſt, maximi faciendae ſunt obſervationes plurimae, quae apud Clinicos reperiuntur, eorum, qui ex minoribus longe devoratis corporibus extraneis, uti ceraſorum, aut prunorum nucleis &c. colicos vehementes dolores paſſi ſunt, ac tandem ſibi mortem aſciverunt: uti habemns ex praecitatis Regiae Academiae commentariis. Quidquid ſit autem, quod inde deducere quiſpiam velit, quod potiore longe jure mala permulta, eaque graviſſima, ab extraneis ejuſcemodi Corporibus, intus detentis, progigni utplurimum ſoleant: nihil hoc militat contra aſſumptum noſtrum; cum ſatis nobis fuerit aliunde oſtendiſſe, quod ſine noxa & devorari, & aſſervari diu poſſint, abſque Daemonis opera, ſpecialibus dumtaxat attentis circumſtantiis, quarum plures in Juvene noſtra animadvertendae ſunt. Nihilo tamen minus haud unquam inficiabor, extraneorum illorum plerorumque Corporuin configurationem, aſperamque ſuperficiem, utpote acutis ſpiculis inſtructam, intimae ventriculi ſuperficiei identidem nocere potuiſſe; tunc cum dolores ibidem patiabatur Juvenis illa, aliaque moleſta ſymptomata, & ſanguinem etiam per os, atque per Alvum ſaepius

ſubinde

ſubinde excrevit. Mala autem haec nec ſaepe adeo, neque tam graviter ipſi evenerunt; adeo ut organica inde illarum partium laeſio magna contingeret, quae ipſam in diſcrimen vitae penitus conjiceret. Fortaſſe enim aliorum alimentorum indigeſta maſſa obſtabat utplurimum, mucoſo glutine ſuo Corpora illa obveſtiendo; quo minus intima Ventriculi, aut Inteſtinorum ſuperficies grave inde ſubiret malum, aut ſummopere ſaltem irritaretur. Quid? ſi, ex aſſiduo, diuturnoque illorum corporum appulſu, calloſum, ut ita dicam, intrinſecus evaſiſſe poſtea ſtomachum aſſeramus, ex quo nihil doleret. *Quidquid ſit*, concedendum hic fortaſſe erit cum Gaſparo a Rejes (*a*) *peculiares quaſdam inveniri Hominum naturas, in quibus ſtupenda multa, & vix credenda conſpiciantur, & ad haec, & majoris admirationis alia credenda ipſius naturae majeſtas, & abſcondita vis jam fidem impetravit.* Sicuti Ferrarienſi cuidam Helluoni eveniſſe, credendum foret; quippe *qui* (*b*) *coria, teſtas, & fracta vitrea vaſa comedebat, & digerebat*: atque alteri etiam Homini, Sichard dicto, referente Boneto, (*c*) qui, coram pluribus Teſtibus, Enſis fruſtum, longitudinis fere unius ulnae, contritum aliquando ingurgitavit; alias vero duos cultros & novaculam,

(a) *Gaſp. a Rejes in quaeſt. ut ſupra.*

(b) *Amat. Luſitan. Cent. 2. Curat. 69.*

(c) *Memoires de l'Academ. Royal. de Chirurg. tom. 1. part. 3.*

vaculam, nummorum aeneorum fruſta, & argentea & claves, & alia, quae innocue poſtmodum per Anum ejecit. Caeterum ex devoratis illis a Juvene noſtra Corporibus, alia in ventriculum intruſa, per vomitum exinde propulſa ſunt: alia etiam ad Inteſtina properarunt, ad Anum ſibi aditum poſtea parando, citius, tardiuſve, juxta ſpecialem Inteſtinalis tubi diſpoſitionem, earumque rerum ſuperficiem, atque figuram. Circa haec enim animadvertere fas eſt, quod inferius Ventriculi orificium, magis quam ſuperius, intruſis hiſce Corporibus duris reſiſtit, neque adeo facile, & cito aditum iiſdem concedit cum ſcilicet ſtrictius ſit, validioribuſque fibris intextum. Alia praeterea minora mole Corpora, nempe acus, vitreaque minora fruſtula, quae per urethram exierunt, per os prius traducta eſſe forſan, indeque ad veſicam translata, non auſerim inficiari: potiſſimum ſi iis adhibenda fides ſit, quae de monſtroſis & miris, cum urina emictis, extant apud Schenchium, alioſque magni nominis Auctores, ac in praelaudatis commentariis Regiae Academiae. Quamquam minus abſonum utique ex dictis eſſet conjicere, quod Corpuſcula illa ſolida in meatum urinarium ſibi per vim identidem intruſerit Juvenis ipſa, eo pene modo, quo de aliis quibuſcunque, e vagina ſecretis, dicendum jure meritoque eſt. Equidem Urethra in

Femi-

Feminis ſpecialiter, ut Lithotomi omnes norunt, dilatari maxime tum ſponte, tum per idonea inſtrumenta obſervatur, ut maximis prodeuntibus calculis, ovi etiam molem pene aequantibus, tranſitum permittat: quod per analogiam etiam, praeſuppoſitam in hac Juvene Oeſophagi dilatationem, ſenſim & ſine ſenſu factam, eo magis magiſque comprobare valet. Quod autem Juvenis iſta ſibi ſponte & in Vaginam & in Urethram corpora illa urgere aliquando auſa ſit, etſi aliunde modeſtiae & pudori ſemper & omnino ſtudens; eatenus hoc intelligendum eſt, quatenus tunc ſui compos haudquaquam eſſet, utpote conſueto Furore ad hoc violenter coacta: id quod de aliis etiam, ab ipſa, extra rationis normam, peractis, indicandum eſſe, ſupra jure ſtatuimus. Etenim cum Cicerone concludendum eſt (*a*), *Furorem eſſe mentis ad omnia caecitatem. Quod cum majus eſſe videatur quam inſania, tamen hujuſcemodi eſt, ut Furor in Sapientem cadere poſſit, non poſſit inſania.* Quo uſque enim quiſpiam vere ſapit, quin Furore corripiatur, nihil unquam, rationi vel virtuti adverſum, quovis modo praeſtabit.

Reſtat nunc ut aliqua inſuper circa ea ſubnectam, quae nullo modo ex ſolis phyſicis potentiis erui poſſe plerique putant; eaque idcirco Daemoni penitus adſcribenda

(a) *Cicero lib. 3. Tuſc. quaeſt.*

ſcribenda eſſe pro certo habent: Videlicet, quod utplurimum extraneas res illas, praecipiente Sacerdote, evomuerit: quod avulſa Mammae papilla, priſtino loco denuo appoſita, ibidem adglutinata rite fuerit, aliaque vulnera pari modo, ut ipſi cenſent, miraculoſe ſanata ſint, ſola benedictae aquae aſperſione: quod demum latine loqueretur, tunc quum ab Exorciſta eo idiomate interrogata eſſet, aut praeceptis preſſa.

Ad primum dico, quod, ut excitati, occaſione Exorciſmorum vomitus, merito a ſuperioribus cauſſis repeterentur, neceſſe utique foret, quod nunquam abſque Sacerdotis juſſu eas evomuiſſet res: quod ſecus eveniſſe ex affectae Juvenis aſſerto, & aliunde etiam, ſatis ſuperque comprobatum eſt. Revera enim ipſa pluries, Domi ſuae ſola degens, nullo adſtante Sacerdote, res illas per os eliminavit, atque ſemper per inferiora, tum anterius, tum poſterius. Neque abs re erit ultro ſuſpicari, quod, dum Sacerdos, Diabolum viriliter objurgare ſatagens, iraſcitur, hucque illucque ſeſe jactat, criſpata fronte, clamat, urget, increpatque (quod num de eſſentia, ut dicunt, Exorciſmi ſit, ut melius ſuum ſortiatur effectum, non ad Medicos, ſed ad Theologos decernendi jus pertinet) adeo Aegrotae Juvenis phantaſia perverti, & affici poteſt, ut ipſa nauſeabunda evadat, ac ſubinde evomat; praeter alias corporis ſubitas affectiones,

quas

quas ex eodem fonte facile derivari poſſe, quicunque vires Animi pathematum adverſus Corpora non ignoret, ſponte confitebitur. Praeſto ſit etiam obſervatio illa, quam Marcellus Donatus (*a*) refert, ex Divo Auguſtino lib. 4. de Civitate Dei, ubi de Homine quodam agit, *qui quotieſcunque volebat, copioſiſſime ſudabat, movente imaginatione facultatem expultricem*. Longe autem mirum magis, & rarum eſſe, credam, quod aliquis, quum voluerit copioſiſſime, abſque ulla externa cauſſa, ſudet, quam quod ſibi vomitum pro lubito promoveat: quo nihil & aliunde facilius Juveni huic evenire potuiſſe, cenſeo: maxime etiam quia Pharyngis & Oeſophagi membranae admodum irritatae antehac ipſi eſſent, ab intruſis extraneis Corporibus duris, & aſperis, imo & a pungentibus iis rebus haud ſemel laceratae, tunc cum ſanguis etiam pluries exierat. Enim vero ſolus minimi digiti apex, aut mollis plumae ſummitas, ſi, Pharyngem leviter dumtaxat titillando, ad vomitum facile cogunt: quid nam ſane de aſperis illis Corporibus dicendum potiore jure erit? Hiſce addo, quod, dum pro lubito contrahuntur adeo Abdominis muſculi verſus diaphragma, ut Ventriculus maxime comprimatur; contenta in ipſo quaeque ad ſuperius Orificium quoquo modo urgentur, eaque inde per vomitum educere

(a) *Marcel. Donat. lib. 2. cap. 1. Hiſt. Med.*

cere tunc in proclivi eſt: quia minor ſuperius, quam inferius ſuperanda ipſis reſiſtentia emergit. Quod ſi nihilominus haec caſui noſtro conferre ideo quiſpiam neget, quod nulla forſan in Juvene illa calliditatis nota obſervata ſit: perturbati ex dictis, in actu Exorciſmi, vires animi ſatis erit accuſare. Apte quidem ad rem noſtram praecitatum Marcelli Donati textum proſequamur. *Ibi quoque alterius meminit, qui, quotieſcunque audiebat ſonum vel cantum flebilem, vel quempiam plorantem, operante imaginatione, ita animo delinquebat, ut ſine ullo ſenſu penitus permaneret, ita ut, etſi pungeretur, vel ureretur, nihil ſentiret; at in ſe ipſum revertebatur poſtmodum, Canentium vocibus tanquam a longe exauditis.* Uti & de aliis quamplurimis Animi Corporiſque mutuis affectibus, commotionibus, & viribus, utrinque quomodolibet excitatis, innumera apud Auctores exempla, circa Feminas praecipue, recenſentur.

Si vero illa vulnera, aquae benedictae praevia inſperſione, cicatrice cito, atque perfecte obducta ſunt: non ideo eorum ſanationem divino adminiculo, ceu potiſſimae & ſoli cauſſae, adſcriberem, ſeu mavis miraculo: niſi hoc in inſtanti, ut ajunt, eveniſſe concedendum foret, atque etiam niſi aliunde conſtaret, ad hoc per ſe Naturam ſufficere neutiquam potuiſſe. Quod in inſtanti ſanata nunquam fuerint, teſtis ſit affecta Juvenis ipſa, quae aliquot ſemper

dierum

dierum intervallo, modo citius, modo tardius, illud contigiſſe fatetur. Si vero nulla penitus adhibita ſunt remedia; neque hoc porro ſufficit, ut miraculum aſſeramus. Saniores quippe Chirurgi omnes, & Medici, Naturae ipſi, in curationibus morborum plerorumque, gloriam adſcribunt: cum ea ſola perſaepe, ſine Artis praeſidiis, operari plurifariam deprehendatur, eaque duce, quotquot caute prudenterque, & cum ratione ſe gerere optant, agere ſemper atque adamuſſim ſatagant. Siquidem, ut de vulnerum ſanationibus praecipue loquar, ille ipſe, qui ab eorumdem labiis, per abſciſſorum tubulorum ſectiones, effluit humor (niſi tamen in interſtitiis vulneratae partis tamdiu unquam ſtagnet, ut putreſcat, acris fiat, atque balſamicam potentiam ſuam amittat) concreſcit paullatim, adinſtar glutinis, quo ſauciata pars illa ſponte conglutinatur, & ſaneſcit; uti in inciſis, quocunque modo, arborum corticibus accidere, Villici quoque norunt. Hinc ea potiſſimum & ſola Chirurgis rationalibus cura ſupereſt, quod, ſi glutinoſus, ut ſic dicam, humor ille a labiis vulneris, congrua copia, exſudet; nil pene agant, ſolamque Naturae, tuto operantis, induſtriam admirentur, commendentque; ut, alia occaſione, ad illius exemplum, ſe gerere diſcant. Sin autem aliquod ibidem impedimentum effuſi ſtagnantes humores pariant,

quod gluten illud opportune, uti par ſit, extillare non ſinat; ſtaſes eas dumtaxat ſolvere neceſſum eſt, atque opus reliquum Naturae penitus committere: cum illa ſemper magnam ejuſcemodi curationum partem compleat, ſin ab inexpertis Chirurgis temere (uti haud raro contingit) perturbetur, aut opprimatur. Verumtamen, quia, ex recenſitis vulneribus, ſibi ipſi, a Juvene noſtra, ut ſupra probavimus, inflictis, illud maxime pejoris utique ominis, ſummique momenti fuiſſe, credendum eſt, quod in Abdominis cavum penetraſſe dicitur, cum laeſione Inteſtinorum, adeo ut & alimenta, & faeces aliquando prodierint: hinc, ex ejuſdem quoque omnimoda ſanatione, miraculum canere ſe debere, ſtatim autumant, ſolam ad hoc naturam ſatis non fuiſſe, opinantes. Profecto, quod iſtiuſmodi vulnera periculoſa vere ſint, nemo unquam inficiabitur; cum inde gravia paſſim, multiplici ratione, ſymptomata proveniant, quae in vitae diſcrimen Aegrotos haud ſemel cogunt. Nihilo tamen ſecius tantum abeſt, quod ea quoque quandoque adglutinari nequeant, & ſponte; ut contrarium evinci, ratione & experientia teſte, multoties Chirurgi ipſi animadvertant. Huc autem, adinſtar omnium, teſtem ſufficiat adducere Celeberrimum Van-Svvieten, Auguſtiſſimi Imperatoris, & Imperatricis, Reginae Hungariae

&c.

&c. &c., Dominae noſtrae Clementiſſimae, Archiatrum Sapientiſs.; quum haec habet: (a) *Inteſtinorum autem craſſorum vulnera, uti & tenuiorum, in loco remotiori a Ventriculo, uti & illa, quae non integre diſcindunt tubum inteſtinalem, periculoſa ſemper ſunt, non tamen abſolute lethalia.* Ibidem etiam de Maniaco quodam agit, qui *octodecim vulnera proprio Abdomini inflixerat, quorum octo in Abdominis cavum penetrabant*, gravibus ſubſequentibus accidentibus, atque nihilominus *praeter ſpem evaſerat. Poſt ſeptemdecim menſes Mania iterum correptus ex alto praecipitem ſe dedit, unde illico mortuus fuit. In cadavere inventae fuerunt cicatrices ſanatorum vulnerum in Hepatis lobo medio, Inteſtino jejuno, & Colo.* Obſervationem hanc refert ex Actis Academiae Scientiarum Anni 1705. Monet inſuper Praeclariſſimus iſte Auctor, *Inteſtinis craſſis, & tenuibus integre diſciſſis, ſupervixiſſe Homines.* Satis namque eſſe, recte opinatur, quod exitus pateat faecibus, praetereaque requiri, *ut a Ventriculo ad locum diſciſſum tanta ſuperſit Inteſtini longitudo, ut ex ingeſtis paratus chylus, per venas lacteas & meſeraicas reſorptus, nutritioni Corporis ſufficere poſſit.* Neque tamen, laeſi quomodocunque Inteſtini, ſanatio ab Arte ſemper expectanda eſt; cum eo remedia recte non tranſvehantur, aut rite & commode parti affectae non apponantur,

(a) *Van-Svviet. Comment. Aphor. Boerhaav. tom.* 1. *part.* 1. *parag.* 170. *n.* 5.

ut ſatis, prout oporteat, ibidem conſiſtant. Praeterquamquod ſponte etiam vulnera illa revera ſanantur; ut praelaudatus Auctor monet. (*a*) *Si ergo Inteſtinum laeſum fuerit, neque vulnus adeo magnum ſit, ut patula via, contenta Inteſtini cavo in Abdomen delabi poſſint, ſibi relinquenda ſunt: ſponte enim tunc ſolent ſanari.* Quid? ſi libere ex hiante vulnere faeces exeant, ut Juveni noſtrae evenit. Alias demum recenſet obſervationes, quas, utpote ad rem noſtram conferentes, enarrare conſentaneum eſt. *Dum Cani majori Inteſtinum tenue, ſecundum longitudinem, diſſecaretur, nulla ſutura Inteſtini, in Abdomen retruſi, facta, Animal tamen convaluit. Imo obſervata docuerunt, larga ſatis Inteſtinorum Vulnera, per quae contenta exibant, ſponte ſanata fuiſſe. Homini globo plumbeo majori vulnus inflictum fuerat, in cavum Abdominis penetrans, cum inſigni laeſione Inteſtini Coli; ſic ut per bimeſtre ſpatium excrementa per vulnus exirent: tandem tamen ſine ullo Artis adminiculo illud vulnus conſolidatum, & homo ſanatus fuit:* uti habet ex Belloſte. Laeſa vero hiſce modis Inteſtina, dum ſponte ſaneſcunt, modo Peritonaeo cohaerent circa Vulnus, modo per ſe agglutinantur. Illud tamen familiare magis eſt, ac facilius & citius evenit; atque ita contentis omnibus congrua, ut antea, emergit inde via, ne extra prodeant, aut in Abdominis cavum, quod pejus eſt, traducantur. Ego etiam, paucis

(a) *Idem ibidem paragr.* 314.

paucis abhinc annis in Cremonenſi Religioſa Juvene circa Pubem apoſtema vidi, ex Hernia in annulo factum; quo ſubinde aperto, non Alvi tantum faeces diuturno tempore effluxerunt, verum etiam viventes Inteſtinorum vermes: ex quo optime ſanata eſt.

Quo ad avulſam Mammae papillam, ut referunt, eamque iterum, ut antea, priſtinae parti reſtitutam, agglutinatamque; minorem longe admirationis inde cauſſam emergere, ſecus ac vulgo creditur, quiſquis exiſtimabit, niſi hoſpes propemodum in obſervationibus Medicis fuerit: cum talia experti praecipue Chirurgi revera nihilum morentur. Adeſt Chirurgia Curtorum, ſic dicta, per inſitionem a Taliacotio explicata, plurimiſque obſervationibus confirmata; in qua modus diſtincte traditur, quo ex nova carne, ex alia Corporis parte artificioſe ferruminata, reciſa antea Naſi pars in priſtinam molem redigi valeat. (a) *Primi, qui hanc operationem tentarunt, celebrantur Calabri inprimis Poſtropheenſes... Inde Magia Tropienſium audit haec operatio, a quibus ad Medicos & Chirurgos Bononienſes devenit. Inter hos commemoratur Branca Siculus Cataneus Chirurgus excellentiſſimus..... Secutus hunc ejus diſcipulus Balthaſſar Ravonus etiam Siculus*, ac tandem Taliacotius: in cujus laudem haec ibidem merito referuntur carmina.

(a) *Garman. de Miracul. Mort. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 8.

Semper honore igitur mactabitur, atque feretur
Laudibus in Coelum, donec Naſi ora venuſtant,
Vir Taliacotius, promptiſſimus Arte Medendi,
Truncatos cujus miranda induſtria carne
E viva reparat [quid ceſſas credere?] Naſos.

Nec omittam ea, quae *de Hominibus quibuſdam Naſonibus* habentur, (*a*) *qui irriſionis pertaeſi, Naſorum tuberes, & quaſi ſurculos amputarunt, atque in brachiorum ulnas, inciſione nonnulla adapertas, ad tempus inſuerunt, atque inde naſos magis decentes efformarunt.* Caeterum tamen nil quidpiam refert contra Taliacotii inventum Celeberrimi Heiſteri aſſertum in medium adducere; quod nempe illius (*b*) artificia parum, imo prorſus aliis non ſucceſſerint; ita ut ſentiendum inde ſit, expertiſſimum Auctorem illum falſa venditaſſe, ac ſi nec ipſi quoque talia unquam eveniſſent; quod quidem injurioſum ipſi nimium foret. Aſt caſui noſtro conformis magis eſt obſervatio Clariſſimi Garengeot, (*c*) quam ideo ad litteram exſcribere neceſſum eſt. *Le 29. Septembre 1724. un Soldat du Regiment de Conti &c. ſe battit avec un de ſes camarades, & fut dans ce combat, mordû de façon qu'on lui emporta preſque toute la partie cartilagineuſe du Nez. Son adverſaire ſentant qu'il avoit un*

morceau

(a) *Bac. de Verulam. Hiſt. Vit. & Mort. Connex. 9. n. 27.*
(b) *Heiſter. Chirurg. part. 2. Sec. 2. cap. 73.*
(c) *Garengeot. Chirurg. tom. 3. obſerv. 6.*

morceau de chair dans la bouche, le cracha dans le ruiſſeau, & tout en colere, marcha deſſus comme pour l'écraſer. Le Soldat n'étant pas moins animé, ramaſſa ſon bout de Nez, & le jetta dans la boutique de M. Galin mon Confrer, pour courir aprés ſon ennemi. Pendant ce tems-là, M. Galin examina ce bout de Nez qu'on venoit de jetter dans ſa boutiquè; & comme il étoit couvert de bouë, il le lava à la fontaine. Le Soldat venu pour ſe faire panſer, on fit chauffer du vin pour ſa plaïe & ſon viſage qui étoient couverts de ſang, puis on mit le bout de Nez dans le vin pour l'echauffer un peu. Auſſi tôt que cette plaïe fut bien nettoïée, M. Galin ajuſta le bout de Nez dans ſa place naturelle, & l'y maintint par le moïen d'un emplâtre aglutinatif, & de la fronde. Dés le lendemain la réünion parut ſe faire, & le quatriéme jour je le panſai moy même chez M. Galin, & vis que ce bout de Nez étoit parfaitement bien réüni & cicatriſé. Quis autem longe mirum magis eſſe non putabit, quod avulſa Naſi potiſſima pars illa, in terram projecta, in aquam immerſa, atque inde vino abluta, nec ſtatim ſuo loco appoſita, ibidem adglutinata & conſolidata perfecte fuerit; quam quod divulſa dentibus Mammae papilla, calens in ore Juvenis ejuſdem ſervata, ac paullo poſtea ſuo loco aptata, priſtinae propemodum parti adhaeſerit, & glutinata ſit, perinde ac ſi nunquam antea ſeparata fuiſſet?

Ad latinum demum idioma quod ſpectat, quo Ju-

venem iſtam ſaepe locutam fuiſſe aſſeritur, tunc quum Exorciſta ipſi praeerat: illud merito animadvertendum eſt, quod ſcribunt, (*a*) *Mulierem illitteratam, dum atra bile agitaretur, latine loqui conſueviſſe, ceſſante vero aegritudine, non quiviſſe*. Neque deſunt & alii Auctores, quorum Sennertus meminit, qui dicere non dubitant, (*b*) hoc ab humore melancholico, aliiſque naturalibus principiis omnino derivari poſſe; cujuſmodi plurima recenſent exempla. Ideo Gaſpar a Rejes appoſite etiam animadvertit, quod talia & majora mentis phaenomena, ex ſola vi morbi, Daemone nil penitus agente, non ſemel evenerint: unde ita ſcribit. (*c*) *Plato in Timaeo ſentit, divinationem a Deo datam Hominibus, errore mentis dumtaxat affectis. Sed non ſolum hoc praeſtare, ſed alienas, quas nunquam calluerunt, linguas, Graecam, Latinam, Germanam, Italam, & quaſcunque alias locutos, quin & Poëtas evaſiſſe plurimos, exemplis, non pauci ſunt, qui teſtantur, Auctores*: uti ſpeciales ibidem ipſe narrat hiſtorias. Quapropter ex Lemnio haec alia ſubdit. *Videmus enim nonnullos in aeſtuoſis febribus, quae fere aeſtate urgent, copioſos promptoſque fuiſſe in differendo, uſoſque oratione culta atque elaborata, eoque idiomate, quod, morbo defuncti, nullo modo exprimere potuerunt;* *quos*

(a) *Cael. Rhodig. lect. antiq. lib. 9. cap.* 23.
(b) *Sennert Pract. lib.* 1. *p.* 2. *c.* 16. *quaeſt.* 1.
(c) *Gaſp. a Rejes Elyſ. Jucund. quaeſt. Camp. q.* 27. *n.* 9.

quos ego pronunciavi, non malo infectoque genio divexari, nec Daemonis inſtructu impulſuque iſta peregere, ſed vi morbi humorumque ferocia, qua tandem face ſubdita, mens Hominis exardeſcit, atque inflammatur. Verumtamen, quo ad hujuſcemodi aliarumque ſimilium hiſtoriarum veritatem, cum meum in praeſens haudquaquam ſit diſſerere, imo nec unquam auſerim; caeterumque Auctorum illorum, circa haec, fidem denegare prorſus, injurioſum exiſtimem; ſatis ſuperque in propoſitum noſtrum fore, reor, quod ea omnino attendantur, quae apud praelaudatum Summum Pontificem noſtrum (*a*) prae caeteris accuratiſſime conſcripta ſunt, atque immenſa pene eruditione referta. Ibidem enim, ex Rituali Romano, dum tutiora exhibet ſigna, *quibus obſeſſus dignoſcitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant*, praecipue dicit, obſeſſos *ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere, diſtantia & occulta patefacere &c.* Inde a fortiori ex Pontas concludit in Dictionario Caſuum &c. illud certius aſſerendum eſſe, *ſi Ruſticus, ſi Femina quaeſtionibus Philoſophicis, aut Theologicis, quarum nunquam cognitionem habuerunt, apte reſpondeant*. Porro quod ea in Juvene noſtra penitus evenerint, haud unquam audivi. Quod ſi vere ea omnia adamuſſim in ipſa contigiſſe, obſervatum ſit; ego quoque hac ratione tantum

obſeſſam

(a) *Lambertin. de Serv. Dei Beatif. lib. 4. part. 1. c. 19.*

obſeſſam illam eſſe, & fuiſſe teſtabor. Idcirco, quum ego quondam Exorciſmis ipſius adeſſem, ab adſtante Sacerdote anxie petii, quod ab affecta Juvene ſciſcitaretur, quid nam ipſe in Pera geſtarem; quod ſane, ſi obſeſſa fuiſſet, ipſa ſcire, Daemonis ope, debuiſſet, ut *occulta*, ſicuti diximus, *patefaceret*. Verum annuere meis votis Exorciſta recuſavit, veritus, ne ita ſe incongrua, atque ad rem ſuam nullo modo ſpectantia, a Diabolo poſtulaſſe culparetur; cum aliunde ego oppoſitum ſentirem; quippe qui illuc, data opera, acceſſeram, ut negotium illud totum examuſſim inveſtigarem, atque judicarem, pro viribus, utrum revera a Daemone, an a Phyſicis ſolis cauſſis ea omnia derivanda forent. Ea occaſione nonnulla latina verba, abſque ordine, a Juvene illa prolata eſſe audivi, eaque cum vernaculis noſtris male adeo copulata, ut inde nullo modo ſtatui merito poſſet, quod tunc vere latino idiomate bene loqueretur, imo nec balbutiret quidem, uti Pueri apud Ludimagiſtros faciunt. Mea quippe ſententia, nihil propemodum repugnat, quod dicamus, Juvenem iſtam (cum pluſquam per decennium varios audierit Exorcizantes Sacerdotes, ipſi ſaepe & diu aſſidentes, praecipienteſque latino idiomate, & circa eaſdem res) latina interim plura verba didiciſſe, quibus, arrepta occaſione, quoquo modo loqueretur, ex habitu potius, ut ajunt,

ajunt, quam ex ſcientia, aut ex Diaboli inſtinctu. Siquidem plurimi ad hoc fieri poterit judicium Eruditiſſimi Gaſparis a Rejes, (*a*) Foreſti ſimilem Hiſtoriam perpendentis, propter quod ita ait. *Caeterum quo ad cantilenas paucula ; & Eccleſiae hymnos, quos melancholica illa apud Foreſtum proferebat, hoc forſan non ex aſſiſtentis Daemonis vi, ſed naturaliter accidere potuit. Quia, licet linguam latinam nunquam didicerit, potuit tamen ex frequenti auditu in Eccleſia ſpecies recipere, quas, licet confuſe in mente reſervatas, naturalis humoris vi excitatas repraeſentari difficile non fuerit.* Verum quia melius, & multo magis alias latine ipſam locutam fuiſſe, dicunt; de hoc penes Adſtantes judicium eſto, dummodo nullis obruantur praejudiciis. De iis enim, quorum certior omnino fieri non potui, neutiquam judicare audeo: licet una & ex aliis, de hoc, non immerito oppoſitum evincere, mihi concedatur. Verum, ut non ratiociniis tantum, ſed aliis ultro congruis Auctorum ſententiis judicium meum, de hac re, confirmare videar: omnia in unum redigam; addito Celeberrimi, ac de Univerſa Litteraria Republica optime meriti, Sapientiſſimi Praepoſiti Muratorj aſſerto; quod ad litteram hic exſcribere opportunum eſt. (*b*) *Che ſi diano veri indemoniati, nol può mettere in*

dubbio,

(a) *Gaſpar a Rejes Elyſ. Juc. quaeſt. Camp. q. 27. n. 40.*
(b) *Muratori Trattato della Forza della Fantaſia Umana.*

dubbio, chi crede alle Divine Scritture, ed à potuto oſſervare le azioni di talun d'eſſi, che ſuperano le forze, e le regole ordinarie dell'umana potenza. Ma queſta verità ſi trova miſchiata con molti falſi ſuppoſti, perchè la ſola apprenſione d'eſſa naturalmente può paſſare in malattìa preſſo la gente credula, e timoroſa, e ſopra tutto preſſo le Donne Iſteriche. Anche un ſolo accidentale toccamento di perſona, creduta indemoniata, baſta per immaginare, che il Diavolo le ſia ſaltato addoſſo. A me confeſsò una gran Dama, che gravida aſſiſtendo alla Meſſa, allorchè il Sacerdote faceva l' elevazione, ſi ſentì internamente come ſpinta a gridare, ed urlare. Dio l' aſſiſtì, che non gridò. Ma ſe arrivava a farlo, chi poteva più riſparmiarle il titolo d'invaſata? Veggaſi quanto poco ſi ricerchi, affinchè una Donna col tetro fantaſma in capo di altre, o vere, o falſe indemoniate, vada a far credere anche ſe ſteſſa occupata dal medeſimo male. Perciò l' eſperienza fa vedere, che dove Eſorciſta non è conoſciuto, ivi ne pur ſi conoſcono gli ſpiritati. Han certamente eſſi Eſorciſti il potere da Dio di guarire i veri Oſſeſſi; ma anno anche la diſgrazia di farne ſaltar fuori degli immaginarj; tanto ſono le burle, che può fare la fievole Fantasìa Donneſca. In S. Marco di Venezia, e nella Metropolitana di Milano, allorchè ſi moſtrano alcune inſigni Reliquie, s' alzano urli, ſtrida, e ſchiamazzi di Donne, ma plebee, credute invaſate, con torcimenti di Corpo, e ſtralunamenti d' occhj. Coperta la Reliquia, ceſſa tutto quel rumore, ne v'è più Gente oſſeſſa. In tante altre Città ciò non ſi

oſſer-

oſſerva: e perchè? Perchè l'uſo non c'è. La fantasìa guaſta di una Donna ſe ne tira dietro cento altre..... Bene è l'avvertir chiccheſia di sì fatti diſordini, e di conſigliar ciaſcuno ad eſaminare meglio, ſe mai può, il fondamento de' racconti di coſe ſtraordinarie, che forſe non ſono, che ideali, per riſparmiare a ſe ſteſſi un ſognato, ma vero male, e ſeco la perdita della quiete, e della ſanità. Almen prima di adottare opinioni tormentatrici, e di alloggiar fantaſmi sì pericoloſi e moleſti, chieder conſiglio ai Saggi, e a chi può rettamente giudicare delle coſe; e credere più ad eſſi, che alle voci popolari, o alle ciarle ed immaginazioni delle Donnicciuole, moneta bene ſpeſſo falſa, e ſempre dubbioſa. E' da vedere in queſto propoſito un Opuſculo di Franceſco Bayle Medico di Toloſa, il quale per ordine de' Magiſtrati eſaminò diligentemente i Sintomi di molte Femmine, credute oſſeſſe dal Demonio, e ne attribuì la cagione alla lor fantasìa leſa, e al temperamento loro iſterico, ipocondriaco, epilettico. Nelle Effemeridi dell'Accademia Leopoldina de' curioſi di Germania all' Anno 1712. ſi legge di una Fanciulla epilettica di quindici Anni, ignorante, e ſoggetta a molti Sintomi, che componeva all'improvviſo verſi non diſpreggievoli, parlava Ebraico, Greco, Latino, Franceſe, ed altre lingue a lei ignote; prediſſe a due Perſone la morte, e tali altre coſe faceva, che era da tutti tenuta per oſſeſſa. Il Matrimonio fu quel potente rimedio, che la guarì. Reliqua circa haec legantur penes Praeclariſſimum Auctorem, cujus omnigenam doctrinam quam maxime ſuſpicio.

Quaeri

Quaeri etiam ultro poteſt, undenam extraneas tot illas res, & varias Juvenis noſtra deprompſerit, quas ipſam & naturaliter vomuiſſe, & occaſione Maniaci aeſtus, ſeu Furoris, propriis arripuiſſe manibus, & in Oeſophagum adegiſſe, demonſtravimus. Verum hoc extra Philoſophi limites extenditur; cum divinare potius, quam philoſophari illud ſit: adeoque ad Medicum nullo modo pertineat. Ex dictis tamen, a Juvene ipſa, innuam, quod domi ſuae non modicam copiam vitreorum fruſtorum antea haberet, quibus ſe modo carere teſtatur. Ferramenta etiam ſimillima iis, quae evomuerat, quiſque plus minuſve penes ſe habet, & Pauperes etiam. Saxis viae omnes coopertae ſunt. De Lapidibus autem aliis pretioſis, per vomitum quoque expulſis, (vulgo *Agata*, *Corniola &c.*) nil habeo quod certi dicam. Scio tamen, Tabulas lapidibus ejuſcemodi inſtructas, uti Veteres ſolebant, apud noſtrates Nobiles aſſervari, a quibus illa furata fortaſſe erit, abſque quod tamen furti merito accuſari ipſa queat; cum pari modo hoc praeſtiterit, quo caetera mira alia peregit. Caeterum, ſi Veteribus Philoſophis fidem praeſtare velimus, quis unquam concedet, Daemonem Juveni noſtrae, praeter caeteros pretioſos lapides, Gagatem etiam in ſtomachum violenter intruſiſſe; cum lapis iſte Diabolo adverſus propemodum eſſe

potius

potius credatur; (*a*) idque Gaſpar a Rejes hiſce verſibus confirmat.

Idem Demoniis contrarius eſſe putatur,
Vincit praeſtigia, & carmina dira reſolvit.

Fruſtra adhuc aliquis forſan objiciet, quod, ſecluſa Daemonis opera, neutiquam explicari poſſit, cur fiat, ut Juvenis illa, cum ſanae mentis eſt, nec Exorciſmis urgetur, indicare neſciat ea, quae in ſtomamacho extranea gerit, ac quaenam ex hiſce evomere mox mox tunc parata ſit: Sciat autem ſecus, & Sacerdoti diſtincte tunc indicet, cum ipſam praeceptis viriliter urget. Hiſce tamen ſic breviter reponam. Si haec vera ſunt, & alia ſimul omnino eveniant, quae ex Rituali Romano in hiſce circumſtantiis obſervanda ſedulo eſſe, proponuntur; id ego quoque libenter cum ipſis concedam, tantumque aberit, ut iis ideo adverſus evadam, quod ſententiae meae tunc adhaerere non amplius velim. Aſt pro nunc, cum hujuſcemodi congrua in caeteris mihi deſint ſigna, aſſerere non dubito, Juvenem hanc (ſicuti, cum Fanatica eſt, res illas ſibi intra Corpus adegit) occaſione etiam Furoris, in actu Exorciſmi, uti diximus, adaucti, ea omnia revelare poſſe, quae abſolute ignorat, cum ſanae mentis eſt. Ita Dormientes aliqui, ſi interrogentur, ea patefaciunt facile, quae dixiſ-

ſe

(a) *Gaſp. a Rejes libro citato Quaeſt. 97. n.* 14.

ſe ſubinde vigilantes eos pudet, imo neque tunc indicare plerumque valent.

Hiſce itaque omnibus, pro ingeniolo meo, exaratis, ut meam ſummatim ſententiam, quaecunque ea ſit, proferam, rationi conſentaneum undique mihi videtur ſtatuere, nullam, ne minimam quidem, Daemonis vim accuſandam eſſe, nullamque inde Maleficii cujuſpiam ſuſpicionem emergere: Quippe quod mira illa omnia, uſque nunc obſervata, quae Naturae, juxta conſuetas leges operantis, vires excedere cenſentur, a naturalibus ſolum cauſſis pendere queant, & revera inde ſuborta ſint. Nollem tamen, quempiam unquam inde deducere, me; ideo quia in recenſitis circumſtantiis, naturales tantum ſatis fuiſſe cauſſas, exiſtimo, nulloque modo Daemonem accuſo; id aeque ſemper & in aliis quibuſcunque caſibus ſentire velle. Dementis enim & ſceleſti Hominis hoc eſſet, ſacriſque oraculis e diametro oppoſitum: quod ideo a me alienum eſt, atque, Deo favente, inpoſterum futurum ſemper confido. Equidem cum iis ſolum impraeſentiarum mihi res fuit, eoſque nervis omnibus impugnare ſatagam ſemper, qui, ut ait Mercklinus (*a*) *credulitate laborant, & in exceſſu peccare videntur. Equidem inter Morbos nullum prorſus ad incantationem accerſere decet, etiam ſi ſit abſtruſiſſimus, & inſolen-*

(a) *Mercklin. Sylog. in Praef.*

lentiſſimis ſymptomatibus ſtipatus ; niſi eum ex naturalibus, vel potius praeternaturalibus cauſſis deducere nullo modo licuerit , adeoque omnem naturalium cauſſarum poteſtatem tranſgredi, ac ſuperare, deprehendimus; Tunc enim demum de ſupernaturalibus, ſeu tranſnaturalibus cogitandum : alias ſocordis & ſimplicis ingenii indicium eſſet, ad ſupernaturalia confugere velle, ubi naturalia ſuppetunt.

Porro verum adeo eſſe puto , quod recenſita omnia mira phaenomena, Naturae tantum adſcribenda ſint, ut (ſin aliud poſthac ipſi contingat, ex quo judicium immutare fas ſit) certo ſperem, Juvenem hanc aliquando ab hiſce aerumnis penitus evaſuram; praecipue ſi, uti par eſt, opportunis utatur remediis. Ideo inprimis omnis adhibenda cura eſſet, ne incongrua alia Corpora ingurgitaret amplius, imo nec in promptu haberet. Quod ſane non alio modo fiet, quam ſi in clauſo aliquo Coenobio, aliis adſtantibus ſemper prudentibus Feminis, caute detineatur. Tunc etiam optimum praeſidium eſſet, ſi manualibus, uti aſſolent Mulieres, operibus occupata perſaepe eſſet, frequenterque animum cum amicis ſociis Mulieribus recrearet laetis colloquiis, neque unquam, ſi poſſibile foret, ſolitaria horas traduceret, eoque minus moeſta degeret, ac tandem ea omnia diligenter fugeret, propter quae ad aphrodiſios affectus excitaretur. Ad Remedia quod ſpectat, ea ſolum uſur-

pare ſas eſſet, quae leniter & Stomachum & Inteſtina, ab ingeſtis iis rebus, ſi quae unquam adhuc eſſent, repurgarent: id quod & ſoli Clyſteres, aliaque pharmaca ejuſdem cenſus laxantia praeſtarent, identidem, pro ut oporteret, praeſcripta. Quodſi poſthac fortaſſis aliquae ex recenſitis extraneis rebus in internis partibus nihilominus remanerent; non ideo de hujuſce Juvenis valetudine deſperandum omnino eſſet. Plura namque adduci poſſunt exempla variorum corporum diu intus aſſervatorum, abſque ulla noxa; quae ſubinde modo per conſuetas inferiores aut ſuperiores vias, modo per alias quaslibet, nec raro mediis abſceſſibus, ſibi aditum pararunt. Hujuſcemodi plurimae obſervationes variae exiſtunt in memoratis Academiae Pariſienſis Chirurgicis commentariis, tum & apud Gaſparem a Rejes, (a) ex quibus merito ſic concludit. *Haec enim & majora providae ac potentis Naturae ſunt opera admiranda, quae, ut Hominis vitam tueatur, rariſſima aliquando molitur, ut extraneam qualemcunque ſubſtantiam, intra Corpus quomodocunque ſuſceptam, ac detentam, quam reſolvere & conſumere, ob illius duritiem, non poteſt, foras detrudat, per communes, ſi poſſibile eſt, aut per occultas vias exitum quaerendo; quod aliquando brevi, aliquando longo tempore exequitur.* Alimenta inſuper talia ſint, quae tumultuarios humorum aeſtus non excitare tantum,

(a) *Gaſp. a Rejes Elyſ. Jucund. Quaeſt. Camp.* §. 92.

tum, ſed refraenare poſſint. Caveat ideo ab aromaticis quibuslibet, & volatilibus; vinoque parce utatur, & copioſius aqua. Vegetabilia ſecus, attemperantia congrua, optima erunt. Quodſi haec omnia ſimul non ſufficiant, neque alia unquam ingeſta denuo ſint incongrua Corpora, & quae aderant commode exierint; Hippocratis praecepto obtemperet, quod illud eſt. (*a*) *Ego vero jubeo Virgines, cum hujuſcemodi patiuntur, quam citiſſime Viris cohabitare*: nos melius dicimus, in Chriſto nubere. *Si enim conceperint, ſanae fiunt.*

Tu vero, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Praeſul, ſin animadverſiones haſce meas Tibi, aliiſve Sapientibus placere, ſeu arridere poſſe ſentias: Animum ſaltem ne deſpicias. Idque perſuaſum habeas ſemper, me non adeo mihi ipſi, rebuſque meis fidere, ut aliorum judicium, dummodo ſit aequum, effugere quaeram, quod caeteroquin aut in hiſce, aut in aliis, mihi profuturum, intellexerim. Soli enim veritati in omnibus ſtudeo, & ſtudebo poſthac ſemper, pro viribus, uſque dum vixero; ut minus ſaltem in errores proclivis ſim. In hiſce autem praeſertim, quae tanti momenti ſunt, parum mihi ipſi, plurimum aliorum judicio tribuo; a quibus ſi victus utcunque evaſerim, dummodo veritate potiamur,

(a) *Hippocr. de Morb. Virg.*

meam (*a*) *hanc ego victoriam appellabo. Neque enim non verebor tantum, ſi refutari, explodi, omninoque evinci me videro, palam illud publiceque dicere; ſed ego omnium primus libentiſſime fatebor, & ſcriptis evulgabo meis, cum ſatis ſuperque meum in Animum induxerim, id mihi nequaquam probro futurum.*

Vale decus Antiſtitum, tutiſſimumque Cremonenſis Eccleſiae columen, meque, Tibi plurifariam devinctiſſimum, Tuo, ut benigne facis, amore ne dedigneris unquam, atque ad omnia vota Tua paratiſſimum me ſemper cogita.

Dabam Cremonae Anno MDCCXLVI.

(a) *Jo: Fantonus in Epiſt. ad Pacchion. de Dur. Matr. uſib.*

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMOQUE VIRO,

Praeceptori olim ſuo Spectatiſſimo,

D. DON PAULO VALCARENGO,

IN REGIA TICINENSI UNIVERSITATE

Primario Medicinae Rationalis Profeſſori Celeberrimo &c. &c.

JOSEPH MIGLIAVACCA,

Philoſophiae, & Medicinae Doctor

S. P. D.

Veniam, opinor, dabis, Vir Praeclariſſime, ſi Te in praeſens graviſſimis Ticinenſis Exedrae curis quam maxime detentum, interturbare audet, Tibi morem gerendi, in demandata mihi, a Te, provincia, ſtudium. Scias ergo velim, me nullum non moviſſe lapidem, ut tranſactis nuper hiſce menſibus, tum a Cremonenſi illa, de qua agitur, Juvene, tum a Viris fide dignis, tum ab ipſo quoque Exorciſta identidem expiſcarer: num illa conſuetis adhuc vexaretur ſymptomatibus, ac ea denuo

 praeſta-

praeſtaret, quorum novitate admirationem ſibi hactenus ita conciliavit, ut Eam plerique a Daemone obſeſſam eſſe, procul dubio judicaverint. Quod cum mihi ex diligenti, atque pluries repetita, inveſtigatione compertum ſit, exploratamque habeam, non intermiſſam in Eadem tot multiplicium malorum frequentiam, Te nunc de hiſce per litteras certiorem facere, congruum duxi. Profecto pathemata omnia, ut ingenue fatear, quae a Te adamuſſim obſervata, ſedula morbi enarratione complexus es, adeo cum iis, quae ſubinde aſſequi potui, cohaerent, ut nihil magis; cum jugiter, etſi modo rarius, modo frequentius, modo ſub diverſa facie, ſe ſe invicem excipere videantur. Equidem ſive melancholicos, maniacoſque inſultus attendamus, eoſque incerta lege recurrentes, ſive extraneorum corporum vomitus, illorumque inſolitas per inferiora excretiones, ſive caetera; iiſdem prorſus, ut antea, aerumnis Patientem noſtram etiamnum detineri, plane affirmo. Aſt haec, licet ejuſcemodi ſint, ut fide pene, apud nonnullos, careant, a Naturalibus tamen cauſſis derivanda eſſe, merito oſtendiſti. Id enim aperte conſtat ex eruditiſſimis animadverſionibus, quas paucis [ut Illuſtriſſimi, atque Reverendiſſimi Antiſtitis noſtri votis indulgeres] ante Tuum e Patria diſceſſum, tumultuarie exaraveras, ac eas magis magiſque illuſtrare ultro decreveras. Sententiae porro Tuae, utpote ſolidis innixae ratiociniis, aſſentiri haudquaquam dubito; libenterque intellexi, in eumdem penitus collimaſſe ſcopum Praeclariſſimum Virum, Comitem Franciſcum Roncalli Parolinum, ut ex eleganti Ipſius Epiſtola

eluceſcit,

eluceſcit, qua Clar. Collegae meo, Martino Ghiſio, Diſcipulo olim Tuo, judicium, circa implexa haec phaenomena, ab Eodem ſciſcitanti, facit ſatis. Et ſane Illum ſumma ingenii vi, atque perſpicacitate verum attigiſſe, ſaepe ſaepius miratus ſum; cum caeteroquin, ex praecipuis, adjunctiſque, tranſmiſſae ad Eum Hiſtoriae, notionibus, in utraque militantibus ſententia [ſeu pro naturalibus, ſeu pro ſupernaturalibus Viribus evincendis] aliquid certi ſtatui facile non poſſet.

Quamquam autem a Te plurima, nec parvi momenti, pro aſſerti Tui veritate, in propatulo poſita ſint, diſerteque enucleata; patiaris tamen, quaeſo, Humaniſſime Vir, quod nonnulla, exercendi tantum ingenii gratia, innuam, ex quibus me nihil omnino a Te diſcrepare, quiſque dignoſcat. Abſit enim, ut credam, inſuetam rariſſimorum iſtiuſmodi ſymptomatum ſeriem, in recenſita Juvene, a ſupernaturali fonte emanaſſe [cum a naturalibus principiis deduci ea jure poſſe, cenſeam] licet apud non paucos, de inuſta Ipſi, ab Amaſio, effaſcinatione, opinio alte invaluerit. Non debemus, *quippe [appoſite admodum docente Zacchia]* (a) plus tribuere publicae voci, & famae, quod hujuſmodi morbi eſſent ex Veneficio, quam tribuamus Naturae ipſi...., non exiſtentibus ergo aliis indiciis, publica vox, & fama, quae aliquando ab ignariſſimo, ac maxime credulo Vulgo originem habet, nihil operari debet, & fruſtra videmur alias cauſſas inquirere, ubi natura-

(*a*) Zacch. Quaeſt. Medico-Legal. tom. 3. conſ. 49.

lium cauſſarum efficientia eſt manifeſta. *Protheiformis certe hujuſce Aegritudinis facies, plurimorum mentem, animoſque primo intuitu ita perculit, ut, re parum penſitata, eam a Daemonis actione emergere, arbitrarentur. Quod etiamſi in imperitos plerumque cadere ſoleat, tamen iis quoque fixum, ratumque eſt, qui penitiores rerum Phyſicarum latebras pervadere renuentes, Naturae potentiam anguſtis nimis terminis coercere non dubitant. Sed quantum toto Coelo aberrent, dilucide ſatis oſtendit ſagaciſſimus ejuſdem Scrutator, Plinius, dum ait:* (a) Mihi contuenti ſe perſuaſit rerum Natura, nihil incredibile exiſtimare de ea. *Cum autem incongruum, meo videri, ſit, de genuina peculiaris phaenomeni cujuſpiam cauſſa, coeco impetu, Sententiam ab aliquo, tanquam ex Tripode, proferri; ideo Illum, cum Lucretio, ſic opportune admonere, aequum cenſeo:* (b)

Deſine quapropter novitate exterritus ipſa
Exſpuere ex animo rationem: ſed magis acri
Judicio perpende, & ſi tibi vera videtur,
Dede manus: aut ſi falſa eſt, accingere contra.

Hoc pacto, ſi quis ad trutinam revocet Cremonenſis hujuſce Juvenis hiſtoriam, firmiori ſtabit talo concepta de ea opinio, nec ad Daemonis opem inconſulto confugiendum eſſe, ſatius exiſtimabit. Et ſane, ſi, praeter caetera, quae in Hyſtericis, ſive, ut ajunt, ex Uteri vitio Melancholicis, atque Maniacis Mu-

lieribus

(*a*) Plin. Natural. Hiſtor. lib. 11. cap. 3.
(*b*) Lucret. de Rerum Natura lib. 2. v. 1040.

lieribus eveniunt, ſymptomata, ea praecipue perpendat, quae ob mentis multiplices perturbationes fiunt; facile intelligere poterit tot, tamque miras earum affectionum viciſſitudines. Enimvero ob vitiatam quomodolibet, ab Hyſterico fomite, Meningum texturam, rectas quoque Animae actiones laedi, neceſſum eſt; unde inconcinnarum idearum ratio emergit. Idcirco a labefactatis phantaſiae viribus abſurda exoriri quis neget, quae interdum per ſe adeo nova apparent, ut verbis efferri vix poſſint? Quidquid enim hac parte peccatur (*uti cum Boneto* Med. Sep. Tom. 1. pag. 191. *innuit Celeberrimus Hecquet*) (a) imaginationi depravatae imputandum; turbatur illa vaporibus ex hypochondriis aſcendentibus, ut fingat ea, ſibique evenire credat, quae nuſquam neque picta ſunt, neque ſcripta. *Hinc Nemo, ut arbitror, ad incredibiles pene, Inſanientium quoquo modo, mentis emotiones, arrectis ſuperciliis, obſtupeſcet, quae, cum inſuetis ſcateant pathematibus*, Divinum *mehercle illud, ab Hippocrate, in Mulierum praecipue morbis, adnotatum, redolere videntur. Hoc in Nymphamaniacis diſtincte ſe obſervaſſe prodidit Ambroſius Stegmannus, dum Epidemicas in Comitatu Mannsfeldiaco graſſantes, Anno* 1698. *Aegritudines exponens, praeter Melancholiam, Maniam, & Furorem Uterinum, plane nullas alias affectiones, Menſe Junio, Julio, & Auguſto, extitiſſe indicavit. Ex his enim (ait ipſe)* (b) quaedam

(*a*) Hecquet Natural. des Convulſ. prem. part.
(*b*) Ambr. Stegmann. Epid. Mannsfeld. Ann. 1698.

dam nil niſi obſcoena proferebant verba, Veneremque intendebant. Quaedam inſomnia phantaſtica recitabant; & modo hunc, modo illum Sanctum, l. Principem, l. alium Magnum pro Sponſis habebant. Aliae cantabant, ſaltabant, & modo in caput, modo in pedes ſe conjiciebant, variaque abſurda immiſcebant. Aliae Rythmos componebant, totas paginas e Bibliis recitabant, & Chiliaſtas ſe profitebantur. *Ut vero immenſam, prope dixerim, everſae rationis potentiam, ad mirandos producendos eventus, paucis perſtringam, atque non obſcuris notis adumbrem, fas mihi ſit, prae reliquis, ea dumtaxat intenta cogitatione revolvere, quae in Melancholicis nonnumquam contingere narrat ſupra recenſitus Zacchia, dum inquit*: (a) Fiunt autem interdum ipſi Melancholici, hoc eſt, Melancholiae vitio laborantes, fanatici, & futura praedicentes, & aliquando etiam ex illitteratis litterati, & quod mirum dixeris, etiam alienam linguam perſonant, abſque eo, quod illam didicerint; quos effectus licet a Daemonio ſemper procedere, vel ab alia ſupernaturali cauſſa Vulgus credat.... tamen etiam a naturali cauſſa, nimirum a ſimplici humore melancholico procedere poſſe, docent Conciliator, & alii apud Schenckium *tit. de Maniac.* & Lemnius, & Foreſtus &c. *Innumera fere ſuper hiſce, ſimilibuſque phantaſiae ludibriis, proſtant in eruditiſſimo*

(*a*) Zacch. Qu. Medico-Leg. tom 1. lib. 2. tit. 1. qu. 18.

tiſſimo Hecqueti Opere (Naturaliſme des Convulſions) *quae, ſi rationum momentis accurate expendantur, admirari, pro lubito cuique licebit. Verumtamen, etſi hujuſcemodi mala a pravis Daemonis thecnis [cum inſolito ordine progrediantur] elicienda eſſe, plurimi certo certius affirment; nihilo minus nonnullas, ipſis detentas, Feminas, ſive Exorciſmis (ſed incaſſum] expiatas, ſive ſecus, ſolo remediorum uſu [quamvis id non ſemper, ac aeque facile contingat] priſtinae ſanitati reſtitutas eſſe, teſtantur graviſſimorum Authorum monumenta;* (a) *quae ſingillatim recenſere, ſupervacaneum arbitror, ne Poma, ut fertur, dare Alcinoo videar. Hinc miracula in hiſce circumſtantiis oſtentare, vani erit, minuſque recte cogitantis ingenii. Ex Hecqueti namque monito* (b) il faut diſtinguer le *merveilleux* du *miracle*, *l'inexplicable* du *ſurnaturel*, *l'incomprehenſible* du *divin*; ce qui eſt ſurprenant, n'eſt pas miracle, quoique le miracle ſoit ſurprenant; ce qui eſt inexplicable à la raiſon, n'eſt pas toujours ſurnaturel; enfin l'eſprit humain ſe perd dans le *divin*; mais tout n'eſt pas divin, quoiqu'il ne ſe comprenne point. *Ut vero ad rem propius accedat Cordatiſſimus Author, atque ex omnium animis, ubi de Hyſtericorum morborum aetiologia, ſermo ſit, errorem penitus evellat, haec doctiſſime ſubdit:* Les faits.... parmi les Convulſionaires

(*a*) Vid Hecquet Natur. des Conv. Zacch. ibid. tom. 3. conſ. 49. Ambr. Stegm. Epid. Mannsf. Ann. 1698.
(*b*) Hecquet La Cauſe des Convulſ. finie.

res ont ſurpris les eſprits; Les jugemens ſe ſont précipités ; eſt-il étonnant aprés cela, que l'on ait pris pour *miracle* ce qui n'étoit tout au plus que merveilleux ; que l'on ait adopté pour *ſurnaturel*, ce qui a paru inexplicable ; & qu'on ait reſpecté comme *divin*, ce qu'on a crû ſurpaſſer les lumieres de l'eſprit humain ? *Portentoſum ego magis cum Eodem* (a) *dixerim, ſi Feminae nunquam hujuſmodi vexarentur morbis [cum ipſis naturalis, & aſſiduâ inhaereat cauſſa, a ſpeciali Viſcerum ſtructura dependens] aut ab illis immediate, atque facillime emergerent, quin in eoſdem amplius, oblata occaſione, relaberentur.*

Quae cum ita ſint, me prorſus a ratione abhorrere, Nemo crediderit, ſi ob praedictam Meningum, & proinde phantaſiae labem, ab Hyſterico fonte eruendam, tot vices, complicationeſque varias, in Juvene noſtra, contigiſſe, Tecum non immerito decernam; unde ea modo moeſta, atque ſolitudinis amans, modo fanatica Domo egrediens, modo pietati addicta, modo illam prorſus refugiens, modo ecſtatica, ſeu a ſenſibus avocata, modo in ſe, alioſque furibunda evaſerit, modo tandem Illius menti crebrae, multipliceſque ſe ſe objicerent rerum ſpecies, eaſque ſe intueri putaret, ac ſi plane ante Ipſius oculos verſarentur. Nec quempiam latere opinarer, inde ortum nanciſci potuiſſe extraneorum corporum appetitum, quae, revertentibus dementiae periodis, Eamdem devoraſſe, non abs re eſt conjectari.

(a) Hecquet Natural. des Convulſ. prem. part.

tari. In nonnullis enim Ventriculi morbis imaginationis actionem plurimum valere, concedendum eſt, ut manifeſte patet, tum ex aliquorum eſculentorum faſtidio, quae Animus, tanquam noxia, averſatur, tum ex intenſo rerum, ſive qualitate, ſive quantitate peccantium ſtudio, quo Pica, & Malacia laborantes perdite rapiuntur. Idcirco affectus hic admirabilis ſane exiſtit [quemadmodum ſentit Diemerbroeckius] (a) utpote cujus tanta vis eſt, praecipue in Virginibus, & Mulieribus (hae quippe frequentius, quam Viri, ea infeſtantur, quamvis etiam his nonnumquam oboriatur) ut modo farinam, modo cretam, modo fiſtulas tabacarias, modo terram, modo carbones, modo calcem, modo picem liquidam, modo carnes crudas, modo fructus edi inſolitos, modo vivos piſces, modo hominis viventis aliquam carnoſam partem, modo lapides (refert Sennertus ſe noviſſe Mulierem, quae quotidie circiter duas libras lapidis molaris comedebat, ſicque tractu temporis fere totum lapidem molarem voraverat) modo alias abſurdas res, a natura hominis alieniſſimas, ſummo ac ſtupendo cum deſiderio appetant, & magna copia comedant. *Eo uſque autem perverſarum idearum vis quondam potuit, ut Mulier in Anglia [indicante Nentero* ex Actis Philoſoph. Anglic. Ann. 1667. Menſ. Novembr.) (b) *maxima*

Venti

(*a*) Diemerbroeck Anatom. lib. 1. cap. 7.

(*b*) Nenter Fundam. Medic. Theoretico-Pract. tab. 184.

Venti teneretur cupiditate, quem ore aperto, e follibus inverſis, propria manu motis, excipiebat. Nam ex phantaſiae errore cum depravatum ſequatur judicium, Patientes nullo habito diſcrimine, in obvia quaeque, licet incongrua ea ſint, miſerrime feruntur, iiſque veſci admodum geſtiunt, ac ſi exquiſitis dapibus fruerentur. Non tamen inficias iverim, ad morboſos hoſce appetitus excitandos, aliquando haud parum conferre ſpecialem gaſtricae Lymphae, nervea Ventriculi ſtamina vellicantis, diatheſim, unde peculiaris in illis ſenſatio emergit, quae phantaſiam, ad objecta impenſius exoptanda, percellere poteſt. Eapropter non ſine ratione animadvertit praedictus Diemerbroeckius, quod (a) Pica laborantes ſint plerumque nonnihil melancholici, vel tales ſaltem, quibus acres fermentacei ſucci ſolito copioſiores, & acriores in Liene, Pancreate, & Ventriculo generantur, unde etiam cum incipiunt eſurire, acrius eſuriunt, & res quaslibet ingeſtas longe facilius digerunt, quam alii, imo quam illi ipſi aliis temporibus (ſic Mulierem gravidam novi, quae ceraſa matura avidiſſime deſiderans, una vice quinque, ſexve libras; aliam, quae triginta placentas; aliam, quae haleces ſalſatas crudas comedit, & bene digeſſit, cum alioqui aliis temporibus minime edaces eſſent, ac ne quartam, imo vix ſextam earum rerum partem edere, aut digerere potuiſſent) & hujus ratione fit, quod tunc cibos copioſos,

(*a*) Diemerbroeck Anatom. lib. 1. cap. 7.

ſos, vel etiam res abſurdas (triticum, crudos piſces, carbones, cretam &c.) durae digeſtionis aliquot vicibus mediocriter bene digerant, vel ſaltem talia ipſis e Ventriculo ſine noxa effluant. *Quid autem praeſtare valeat vivida imaginatio, & quod arctis ſe circumſcribi non ſinat limitibus [ut non pauca ſuper hac re ſicco pede praetermittam] ſatis apte deduci poſſe plurimi autumant ex ſignis Foetui impreſſis, iis diſtincte in locis, quae Mater, aliquid vehementer expetendo, tetigit; ut, inter caeteros, opinatur Fernelius, a qua formae etiam, atque effigiei ſimilitudinem cum Plinio* (Lib. 7. Natural. Hiſtor. cap. 12.) *deducere contendit.* (a) Hujus enim (*inquit Ipſe*) tanta vis eſt, & poteſtas, ut ſicuti plerumque corpus Cogitantis immutat, ſic & in conceptum ſemen vim ſuam conferat. *Alia tamen dictorum ſtigmatum ratio, & potiore jure, a Doctiſſimo Blondello* (b) *aſſignatur, quam vel a particularum varietate, diverſaque earum unione, vel a laeſa quomodocumque Corporum organizatione [ſive ob vitiatam nutritionem, ſive ob aliam cauſſam] eruendam eſſe ſtatuit. Praeterquamquod Hyſtericarum quoque Convulſionum, quae Epidemicae, ſeu Contagioſae vulgo nuncupantur [Endemicae melius, ut placet Hecqueto, quia Feminis, ac praeſertim Virginibus propriae] genuinam magis originem ſe aſſequi poſſe nonnulli*

cenſent,

(*a*) Fernel. Phyſiolog lib. 7. cap 12.

(*b*) Blondel Diſſert. Phyſ. ſur la force de l'imagination des Femmes enceintes ſur le Fetus. chap. 9.

cenſent, ſi eas a reciproca fortis phantaſiae potentia emanare, mordicus tueantur. Convulſivarum hujuſmodi affectionum obſervationem a ſe habitam protulit Ambroſius Stegmannus, dum ait: (*a*) Extitit autem, quod mirandum, Furor Uterinus contagioſus, nam iiſdem in Aedibus ſaepe 2. 3. & plures decumbebant Mulieres hoc affectu. Vidi etiam meis: quod Praefecti cujuſdam Uxor in paroxiſmo ejuſmodi furente conſtituta, ex adſtantibus Mulierculis ruſticam quamdam Virginem ad oſculandam manibus arriperet, recuſantique colaphum impingeret, ex quo terrore, ruſtica haec, altero die poſt, eodem affectu infecta fuit. *Caeterum in dubium revocari merito poteſt, num dicta pathemata, valida tantum apprehenſione, inter Feminas, late propagentur, cum ab Aphrodiſio humore, in ſingulis, aequali modo, ſpecialiter dominante, derivari optime queant.*

Sed e diverticulo in viam. Quamvis ex ſupradictis, Cremonenſem Juvenem tot extraneas res appetiiſſe, atque ingurgitaſſe, ſit cur veriſimillimum putetur, mihi tamen haud objiciat quiſpiam imparem, tranſmittendis ingentibus corporibus, Oeſophagi diametrum, cum membraneae, fibroſaeque partes ad ſummam extenſionem dilatari perquam commode poſſint. Non abſimilis & de Ventriculi capacitate ratio eſſe debet, utpote qui, habita ingeſtorum proportione, magis magiſque ſe ampliari patiatur. Quod evenire dubitandum non eſt iis, qui copioſiſſi-

ma

(*a*) Ambr. Stegmann. Epidem. Mannsfeld. Ann. 1698.

ma ciborum ſaburra ſe ſe infarcire conſueſcunt, ut de Eriſichthone ita canit Ovidius (a)

furit ardor edendi,
Perque avidas fauces, immenſaque viſcera regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aer,
Poſcit, & appoſitis queritur jejunia menſis;
Inque epulis epulas quaerit, quodque Urbibus eſſe,
Quodque ſatis poterat populo, non ſufficit uni,
Pluſque cupit, quo plura ſuam demittit in alvum.
Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec ſatiatur aquis, peregrinoſque ebibit amnes:
Utque rapax ignis non unquam alimenta recuſat,
Innumeraſque faces cremat, & quo copia major
Eſt data, plura petit, turbaque voracior ipſa eſt:
Sic epulas omnes Eriſichthonis ora profani
Accipiunt, poſcuntque ſimul: cibus omnis in illo
Cauſſa cibi eſt, ſemperque locus fit inanis edendo.

Nec minus enormem quivis arguet Stomachi ſe explicantis molem, tum in Viro illo [referente Marcello Donato] (b) prodigioſae quidem vaſtitatis, & magnitudinis, at magis prodigioſae, incredibiliſque ingluviei, ita ut integrum Vitulum crudum, vel Ovem inconcoctam una vice devoraret, & tamen nec dum famem expletam diceret; *tum & in* Phagone, qui uſque eo multum

(a) Ovid. Metamorph. lib. 8.
(b) Marcell. Donat. de Medic. Hiſtor. Mirab. lib. 4. c. 2.

tum comedit, ut uno die ante menſam ejus Aprum integrum, centum panes, Vervecem, & Porcellum comederet, biberet autem infundibulo appoſito plus Orca; *tum & in duobus aliis Helluonibus, quos, ad decem Hominum eſcas ſingulo die abſumendas, ſatis fuiſſe, Idem evulgavit. Exinde porro fieri non inconſulto cenſendum eſt, quod* Guloſi, Voraces, magnique Biberones [*teſte Diemerbroeckio*] (a) magnos plerumque ſolent habere Ventriculos. Qualis fuit ille, quem Jo: Theod. Schenckius, *Anat. lib.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 14. ſe in Guloſo vidiſſe refert, qui continebat decem vini cantharos. Etiam magnus fuit ille, de quo Spigelius ſcribit, *Anat. lib.* 8. *cap.* 8. quod quatuordecim libras liquoris caperet, iſque inventus fuerit in Viro magnum Os habente: atque hinc judicat Bauhinus, *Anat. lib.* 1. *cap.* 46. ex magnitudine Oris judicari poſſe de magnitudine Ventriculi, & magno Ore praeditos eum magnum habere, & voraces eſſe: quod ipſum etiam judicat Spigelius. *Id autem in Patiente noſtra verum quoque comperiri optime poſſe, Tecum ſentirem, cum amplo & Illa inſtructa ſit Oris cavo.*

Si quis porro ad intruſa in Oeſophagum, Ventriculumque corpora animum advertat, Eamdem perraris vomitibus, ad intervalla, multiplici de cauſſa, vexatam ſubinde fuiſſe, ſibi facile ſuadebit. Plurima ſane hujuſce cenſus ab Hiſtoriis Medicis no- bis

(*a*) Diemerbroeck Anatom. lib. 1. cap. 7.

bis ſuppeti exempla, ſatis indicaſti, quae ex iiſdem quilibet, propriae conſulens curioſitati, decerpere poteſt. Minori tamen admiratione dignum puto, ſi ingeſta in Stomachum corpora, tametſi non exiguae molis ſint, variaeque ſuperficiei, & figurae, vomitu iterum rejiciantur, aliaque per Pylorum ad inteſtina trajecta, proprio pondere, ac urgente periſtaltico eorum motu per Anum eliminentur; quam ſi a diſciſſis [aut ope Chirurgica, aut ſponte facto ſibi quomodolibet aditu] Ventriculi tunicis erumpant, ſubſequente vulneris conſolidatione. Mirandi *namque* ſunt [*aſſerente praecitato Diemerbroeckio*] (a) illi caſus, qui de duobus Cultrivoris ſcribuntur, quorum primum deſcribunt Bernhardus Suevus, *tr. de inſpect. vuln.* Crollius *in Praef. Baſil.* Sennertus *prax. lib.* 1. *p.* 1. *ſect.* 1. *c.* 15. aliique plures, de Ruſtico Bohemo, qui Anno 1602. Pragae cultrum longitudinis novem pollicum deglutiit, qui culter poſt ſeptem hebdomadas e Ventriculo exciſus, & Aeger ſanitati reſtitutus fuit. Alterum caſum ſibi viſum deſcribunt duo Medici, Georgius Lothus, & Rotgerus Hempſing peculiari Germanico tractatu, totam admirandae rei hiſtoriam continente: de Juvene XXII. Annorum, qui Regio-montii in Pruſſia, Menſe Majo, Anno 1635. cultrum duas tranſverſas palmas longitudine excedentem, manubrio deorſum deſcendente, caſu deglutivit: qui culter circa ſextam, poſt deglutitionem, ſeptima-

(*a*) Diemerbroeck ibidem.

nam a Chirurgo excîſus, & Aeger unico Menſe perſanatus fuit. *Nec parvi momenti eſt obſervatio, quam* (ex Blegny Zodiac. Gallic. Ann. 1. Menſ. Maj. Obſ. 2.) *exponit ſolertiſſimus Junckerus, dum ait*: (a) Multa proſtant ſtupenda plane exempla, in quibus graviſſima Vulnera non fuerunt lethalia, e. g. *Petrus Yvens* cultros cum vagina, chalybem excoriatorium, pedem lebetis ferrei diverſis vicibus deglutivit, quae perforato ſucceſſive Ventriculo per hypochondria, & lumbarem regionem, formato abſceſſu, eruperunt, & Aeger paucis diebus convaluit.

Hinc nemo, in Cremonenſi Juvene, ab inflictis ſibi in Abdomine vulneribus, Ore aſſumpta aliquando alimenta, atque Faeces prodiiſſe, ac laceratae partis agglutinationem a naturalibus viribus derivandam eſſe, meo videri, dubitabit. Licet enim eam ſponte [*tractu tamen temporis*] *eveniſſe compertum ſit, ſoli nihilo minus Naturae* [*idem & de Papilla, e ſiniſtra Mamma avulſa, eique iterum conjuncta, dicendum erit*] *opus tribui poſſe, Te quoque annuente, non inficias ibo.* Vulnera *quippe* [*ut docet praelaudatus Junckerus*] (b) neque Medicinam *directe*, neque Chirurgiam vere poſtulant, ſed tantum inſpectionem, & cuſtodiam Medici, atque Chirurgi admittunt. Nam diſſoluta reſarcire, principii vitalis energiae incumbit. Ars remo-

(*a*) Iuncker Conſpect. Chirurg. tab. 61.
(*b*) Idem ibidem tab. 52.

removet tantum impedimenta. *Si etenim de Aquae Benedictae, plerumque facta, appoſitione loquamur, cui potiſſimum ſanationis tunc effectum [ac ſi ſupra Naturam contigiſſet] in recenſitis Vulneribus tribuere penitus Adverſarii contendunt: etſi ego libenter concedam, ac venerabunde profitear, eo modo miraculoſas hujuſcemodi conſolidationes accidere poſſe: tamen, cum in praeſens, quid ex ſe Natura valeat, inquirere, meum ſpecialiter inſtitutum expoſcat; animadvertendum hic eſſe merito, puto, ſolam ex ſe Aquam, nullis etiam aliis additis remediis, vulneratis reparandis partibus interdum rite ſufficere. Haud ſiquidem ignoro, quae, ratione duce, atque obſervatione, de Aqua protulit Expertiſſimus Smith,* (a) *tanquam optimo ad glutinandum praeſidio. Neque dumtaxat firmiſſimam divulſis ſolidis unionem ab Aqua conciliari ſatis conſtat, ſed eorumdem quoque curationi, abſque ulla cicatrice, illam ſingillatim prodeſſe, non obſcure indicatur* (b)

Quod autem ad exigua alia corpora, cum Urina, excreta, ſpectat, a vero, ut arbitror, non abludam, ſi ea prius per Os ad veſicam quoquo modo delata eſſe [tametſi etiam de ipſorum in meatum Urinarium intruſione, a Patiente, in ſummo Furoris aeſtu, facta ſuſpicari fas ſit, ut Tu recte adnotaſti] ſtatuere non renuam. Difficultatem equidem portendit inexplica-

 bilis

(*a*) Smith Traité des Vertus Medicinal. de l'Eau Commun.

(*b*) Hermann. Boerhaave de Virib. Medicam. part. 1. cap. 5.

bilis fere, ne dicam, incredibilis a Ventriculo ad Veſicam illorum tranſitus; ſed non minorem exquirunt indaginem binae obſervationes ab Hecqueto allatae, quae magis magiſque veritatem, ad rem noſtram, confirmare videntur. (a) Toute la Phyſique a été ſurpriſe de la prodigieuſe puiſſance, qui tranſmit un *épi de gramen* de l'Eſtomac dans les vaiſſeaux de la Pleure, ce qui cauſa la pleureſie la plus preſſante. A-t-on reconnu pour cet effet une autre vertu, que la ſyſtaltique, à l'aide de la quelle on a vû encore une *épingle* avalèe, on ne ſçait comment, deſcendre du haut du bras vers l'endroit de la ſaignée, d'où la tira par une très légere ouverture de la peau un Chirurgien * habile, & connu? *Idcirco cum haec, aut ſimilia conſpicienda nobis ſe praebent, arcana prodigia, ex Baglivio,* (b) Naturae monitis parendum, & licet captum noſtrum fugiant, itidem parendum, [*quod & de ingeſtis, ejectiſque aliquando, abſque ulla noxa, ſive ſuperius, ſive inferius, ab enarrata Virgine, corporibus effari decet*] ea namque non per fortuitas, ſed conſtantes, & perpetuas leges progreditur. *Aureum hoc perſpicaciſſimi Authoris documentum raris quibuſdam ab Ipſo comprobatur obſervationibus, cujuſmodi ſane aliae, ut optime noſti, legi merentur apud Paraeum, Sennertum, Marcellum Donatum,* *Schen-*

(*a*) Hecquet Medecin. Naturel. tom. 2.
* M. le Dran le Pere.
(*b*) Bagliv. Prax. Medic. lib. 1. cap. 13. parag. 7.

Schenckium, Diemerbroeckium &c. praeſertim ubi mira cum Urinis reddita ab iiſdem cumulate proponuntur.

Quod ſi ex praedictis, eliminata per vomitum, aliaſque inſuetas vias, corpora, in caſu noſtro, praeternaturales cauſſas procul dubio decernere non poſſunt; eo minus id aſſerendum erit ex iis, quae aperte innuit P. Candidus Brognolus, (a) Signa *diſtinguens* (quibus Exorciſta modo Obſeſſum, modo Maleficiatum deprehendit) *in* certa, & evidentia, *atque in* conjecturalia, & probabilia, quorum aliqua *ait eſſe* probabiliora, aliqua minus probabilia. *Nam a* certorum, & evidentium *albo expungit:* (b) Cum quis vomitu rejicit cultros, clavos, acus, capillos, vitra, & alia id generis artificialia. Quando quis per poſticum eadem emittit, vel quaecumque alia, quae in Corpore generari non poſſunt. *Cum vero ex Eodem* (*c*) certa, & evidentia *ſint* illa, quae ſumuntur ab effectu, qui provenire non poteſt a cauſſa naturali, ſed neceſſe eſt proveniat a cauſſa ſuperiori, puta a Daemone; conjecturalia *autem*, ſeu probabilia *ſint* ea, quae ſumuntur ab effectu, qui ſaepius, vel utplurimum procedit a cauſſa tranſnaturali, nempe Daemone; aliquando tamen

(*a*) P. Candid. Brognol. Manual. Exorciſt. part. 1. cap. 2. artic. 5.

(*b*) Idem ibidem part. 1. cap. 2. artic. 5. quaeſt. 1. parag. 5.

(*c*) Idem ibidem part. 1. cap. 2. artic. 5.

tamen provenire poteſt a cauſſa naturali: *hinc recte infe-rendum eſt, & Ipſum in ea fuiſſe ſententia, praedicta omnia phaenomena a naturalibus proficiſci poſſe principiis, nec illa Daemonis actionem abſolute indicare. Maximo huic praejudicio jamdiu cautum fuiſſet, ſi a primo naſcentis morbi exordio, ad ejus vires inveſtigandas, atque aequa mentis lance librandas, experto Medico cura demandata foret: vel ſaltem ab Ipſo, in re tanti momenti, conſilium petere, quis non dubitaſſet. Quod ſi tempeſtive praeſtitum, ut decebat, fuiſſet, in tantis certe ſilentii tenebris haudquaquam dudum jacuiſſet univerſa iſtorum pathematum hiſtoria, nec Patientis animo, de maleficii nota, opinio, tam altis radicibus defixa, maneret, difficili admodum negotio evellendis. In hiſce namque circumſtantiis, atque ubi de Veneficio agitur [ut recenſiti Authoris verbis utar]* (a) quando nempe res naturales adhibentur, ut cauſae phyſicae naturaliter operantes, ad Medicum ſpectat judicare de illis: Ipſe enim, qui de rerum naturalium proprietatibus, actionibus, vi, & efficacia unicuique ad ſuos proprios, & naturales effectus producendos, a Natura ingenita, diſputat, ſententiam ferre debet, an naturalis virtus inſit (puta huic minerali &c.) naturaliter inducendi talem morbum, quo hic Vir, aut Mulier laborat; & an vi operantis Naturae ſolida, puta acus, lapilli, oſſa ex eo-

rum

(*a*) P. Candid. Brognol. Manual. Exorciſt. part. 1. cap. 2. artic. 3. quaeſt. 3.

rum ore prodeuntia in Corporibus generari, in ea immitti, in eis retineri, & ex eis egeri valeant; haec enim, & ſimilia, prout ſunt cauſae naturales naturaliter applicatae, & naturalem operantes effectum, ad Medici cognitionem pertinent, qui circa phyſicam eorum actionem, tanquam de re Arti Medicae ſubjecta, determinat, quae, qualis, & quanta naturaliter eſſe poſſit; & ideo cum talia reperiuntur, in quibus ſubeſt ſuſpicio maleficii, Ipſi offerri debent, ut ex Scientiae Medicae concluſionibus judicet, an a tali re naturali huic Perſonae, vel loco naturaliter applicata, talis effectus, qualis videtur in Infirmo, vi Naturae, & phyſica operatione oriri poſſit. *Qua de re prudenter ſenſiſſe, arbitror, Clariſſimum Baruffaldum, dum, inter caetera, Phyſicarum etiam rerum eruditionem in Exorciſtis neceſſariam eſſe, ita candide exponit:* (a) Ne Exorciſta in varios incidat errores, atque ne in judicando de Maleficiis caecutiat, ac ſe ipſum, & Aegros in foveam praecipitet, praeter morales Virtutes, quibus imbutus eſſe debet, neceſſe eſt quoque, ut artem hanc è libris ediſcat, & prae omnibus, Philoſophiam Naturalem, & Theologiam calleat. *A quo diſſentire nullo modo videtur praecitatus Brognolus, ſic docens:* (b) Optimum namque eſſet,

ut

(*a*) Hieron. Baruffal. Comm. ad Rit. Rom. tit. 90. n. 22.

(*b*) P. Candid. Brognol. ibid. part. 1. cap. 2. art. 4. qu. 3. parag. 2. in Append.

ut qui exorcizandis Energumenis, & Maleficiatis curandis ex Eccleſiaſtico munere deputantur, ut rite, tuto, ac perfecte valerent ſuum obire munus, prius Philoſophiae, ac Theologiae Scientiis apprime imbuerentur, quam ſacro huic muneri vacarent, ne ex defectu Scientiae prolaberentur in intolerandos errores, cum Eccleſiaſtici Miniſterii contemptu, & generali omnium ſcandalo. *Conſectarias ex ſolidioris Phyſicae imperitia hallucinationes, atque inde emergentia damna, ſatis appoſite Idem detexit, ubi inquit*: (a) Aliquando nimis frequenter accidit, ut qui Theologiae ſedulo, ac praecipue doctrinae de Daemoniacis operationibus operam non navarunt: nec non de Aegritudinum naturalium cauſſis aliqualem non habuerunt cognitionem, cum de quocumque morbo, obvii cujuſque Infirmi, judicant, tranſeunt de potentia ad actum; quas enim in libris infirmitates legunt a Daemone cauſſari poſſe, eas ſemper ab illo inductas exiſtimant, & poſſibile pro facto reputantes, quot vident Infirmos, tot Maleficiatos credunt; quare dum caecutientes iſti Exorciſtae caecos Infirmos ducere contendunt, ſe ipſos, & alios in foveam praecipitant; unde fruſtra Eccleſiaſticis remediis eum curare nituntur, qui naturali infirmitate laborat. *Res equidem haec*

eſt,

(a) P. Candid. Brognol. ibid. par. 1. c. 2. art. 4. qu. 3 parag. 2. in Append.

eſt, in qua multum ſtudii, induſtriaeque ab iis eſt adhibendum, praeſertim in arduis, complicatiſque Feminarum affectionibus, quae ab Utero gravi calamitate, *atque* ſexcentarum aerumnarum Authore [*ut Democritus in Epiſtola ad Hippocratem monuit*] *paſſim exoriuntur; & quae pleriſque tranſnaturales cauſſas perſaepe imponunt. Hinc & Ipſae haud raro ſe a Diabolo inſeſſas, vel Maleficio detentas perperam exiſtimant, aut ſaltem ab eodem occupari, callide ſimulant, ut malorum, quibus miſerrime premuntur, Iliadem oſtentent.* Frequens *ſiquidem* eſt [*teſtatur Baruffaldus*] (a) Mulierum exorcizandarum occaſio; nam utplurimum hujus naturae ſunt Perſonae, quae vel ficte, vel realiter a Daemone infeſtari videntur. Idcirco caute ſe gerere debet Exorciſta ad opus ſuum exercendum cum Feminis. *Quod ſi provido hoc utatur conſilio, rectius, ni fallor, judicium feret; nec tot mehercle fallaciis irretiri unquam poterit. Ex ejuſdem quippe Sapientiſſimi Viri effato:* (b) Si omnes illi, qui Daemoniaco morbo ſe laborare dicunt, vere Daemoniaci eſſent; pene totus Orbis eſſet a Daemone obſeſſus, & praecipue totus Feminarum grex: quemcumque enim morbum (qui plures ſunt) incurabilem reputant, hunc cum Daemone partem habere concludunt, ac ſi vera eſſet, & irrefragabilis opinio, & ſententia illa Plotini, & Marſilii Ficini, omnem Febrem Daemonem

eſſe

(*a*) Hieronym. Baruffal. ibid. tit. 90. n. 85.
(*b*) Idem ibid. n. 24.

eſſe. *Aenead.* 4. 2. Quare prudens Exorciſta illud in primis corde recogitabit, a Spiritu Sancto nobis traditum: *Qui cito credit, levis eſt corde.* *Eccle.* 19. Ex centum enim Corporibus, quae a Daemone obſeſſa dicuntur, vix duo erunt vere maleficiata, & haec ut plurimum erunt Femellarum, quae plurimis morbis obnoxiae eſſe ſolent, & fingunt ſe eſſe Daemoniacas, licet non ſint.

Plura alia addere in animo erat, quae varias reſpiciunt Corporis morboſas affectiones, quibus Cremonenſis Juvenis vexata ſaepe ſaepius fuit. Cum vero ipſae ab eodem Hyſterico fomite commode deducantur, ea in praeſens omittenda eſſe, opportunum duxi.

Sed jam me Tibi, patienter ferenti, forſan moleſtum nimis reddidit prolixior, quam par erat, Epiſtola, praeſertim cum, hactenus a me expoſitis animadverſionibus, Minervam inſtruere videar. Argumentum equidem hoc funditus a Te excuſſum, atque luculenter illuſtratum eſt, cui non parum ſplendoris accedet, ex nova, quam ſuper hac re, ſpondes, Diſſertatione. Faxint Superi, ut in hujus editionem ſolicite incumbas, quod anxie, vehementerque exopto. Haec interim habe, Vir Praeclariſſime, in perpetuum, minimum licet, obſervantiae meae erga Te monumentum.

Vale ad Neſtoreos annos, Reipublicae Medicae decus, ac praeſidium, & me, ut facis, amare perge.

Cremonae Kalend. April. MDCCXLVI.